

Heinrich Rahn Daniel Conradi


## **Disputatio Iuridica De Feudis**

Rostochii: Kilius, 1651

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766617521>**

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



QUOD SS. TRINITAS FELIX FAU-  
STUMQUE ESSE JUBEAT,

DISPUTATIO JURIDICA  
DE

# FEUDIS

*Quam*

SUB PRÆSIDIO  
AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI  
ATq; EXCELLENTISSIMI VIRI

DN. HENRICI RASCHEN, Jcti  
ET IN HAC ILLUSTRIS ROSARUM  
ACADEMIA PROFESSORIS  
CELEBERRIMI

Dn. Præceptoris ac Patroni sui pluri-  
mum venerandi,

*Eruditorum examini publicè subijcit*

DANIEL CONRADI

Ultz: Lünæburgicus

A. & R.

*Ad d. 19. Aprilis.*

IN AUDITORIO MAJORI.

—(o)—

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi,

ANNO M. DC. LI.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



DISSERTATIONIS JURIDICÆ  
DE  
FEUDIS.

THESES I.



Ractaturi materiam Feudalem, maximè necessariam, & forensibus usibus accommodatam, eum ut notum est, omnes ferè Duces, Archiduces, comites &c. ab Imperatore vel Imperio Feuda possideant, non absq; re nobis videtur, statim à principio demonstrare, cujusmodi sit hoc Jus, quomodo & quatenus nos obligatos reddat. Notanda itaq;, quòd Feuda non sint Romanæ, sed Germanicæ orriginis, & debeant originem Longobardis. 2. Feud. 1. Wesenb. de Feud. in proém. n. 1. Goed. in disp. Feud. disp. 1. th. 5. Hinc sapissime in consuetudinibus Feudalibus allegatur Lex Longobardica. d. 2. F. 1. 2. F. 39. nec non multa vocabula Longobardica in Feudis occurrunt, quale est vocabulum Allodium. 2. F. 26. §. 1. Vasallus. 2. F. 26. §. 5. 2. F. 26. in f. & passim, Morganatica. 2. F. 29. quæ omnes appellationes, quamvis latinis inflexionibus sint positæ, sunt tamen Longobardicæ orriginis.

2. Ex quo etiam apparet, Jura Feudalia non esse partem Juris Romani, quia, ut dictum, Feuda non sunt Romanæ, sed Germanicæ orriginis. 2. Quia Jus Romanum, quod in Digestis, Codice & Novellis continetur, de Jure Feudali in iis libris nihil habet dispositum, neq; unquam nomen Feudi aut Vasalli ibi reperitur. 3. Authores Juris Romani, sive ultimus, ut Justinianus, sive anteriores, ex quorum libris ejus Jus fuit compositum, non sunt Authores Jurium Feudalium.

3. Et quamvis in libris Feudalibus Gerardi Nigri & Oberti de Orto, tanquam Authorum mentio fiat. 2. F. 25. 2. F. 23. non tamen inde probari potest, quòd omnes consuetudines Feudales conscripserint, vel quod idem, compilatores Consuetudinum Feudalium fuerint. Nam licet varias

collegerint consuetudines, ab alijs quoq; alia capitula & consuetudines addi potuerunt, quorum passim fit mentio suppressis neminibus, 2. F. 15. 2. F. 47. 2. F. 30. quiq; has consuetudines non ut Legislatores, sed ut Interpretes collegerunt. *Wesemb. de Feud. in proëm. n. 2.* probando suam sententiam his verbis, *Quocirca pro more non legislatorum, sed interpretum multas interdum recensent diversas sententias, nullam aperte approbantes, aut improbantes.* Circa quod sciendum, quòd aliquando ultima opinio à Feudistis allegata ab iis sit approbata, non verò reprobata, aliquando contrà; Unde plerumq; Feudistæ solent addere, hanc sententiam sibi placere, & eui opinioni hoc adjectum est, illa solet recipi. 2. F. 47. aliàs ex usu addiscendum erit, quæ sententia approbata sit in Curijs.

4. In Feudalibus siquidem controversiis. 1. Attenduntur pacta & conventiones Investituræ Feudalis. *l. 23. de R. J.* cùm Investitura sit radix omnis Juris Feudalis, *argumento.* 2. F. 2. *in f.* Hinc controversiâ in Feudis subortâ recurritur statim ad literas Investituræ, germ. die Lehenbrife. Et licet de Jure verior sit sententia, quod scriptura non sit de essentiâ Investituræ. *Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 42. l. 4. de pignor.* hodiè tamen confessio Instrumenti super Investiturâ est pars Feudi. *Vult. d. l. & vocatur breve testatum.* 2. F. 2. propterea quia pacta conventa & Jus Feudalis concessionis breviter in illo instrumento habetur comprehensum. 2. Inspicitur consuetudo loci, hâc tamen in re non generalior, sed specialior consuetudo loci est attendenda. 2. F. 1. *Wesemb. de Feud. in proëm. n. 4. Seth. disp. 37. th. 5. lit. c. 3.* debet recurri ad generales Juris Feudalis consuetudines, & feudalis controversia ex iis est decidenda. 2. F. 7. in tantum, ut etiam ex mente Juris Feudalis controversia sit decidenda. *l. 6. §. 1. de V. S.* Nec minùs in decidendis controversijs feudalibus procedit argumentum à contrario sensu, e. gr. constitutum est, ut Vasallus mortuo Domino à successore ejus intrâ annum & diem petat Investituram. 2. F. 24. *in pr.* aliàs illum Feudum amittere debere. *d. 2. F. 24. in pr.* modò sit in possessione Feudi. *Goed. disp. feud. 3. th. 33. Vult. libr. 1. Feud. c. 7. n. 81.* qui dicit, *Est vulgatum in Feudis axioma, quòd Vasallus non teneatur petere Investituram à Domino Feudi, si tertius Feudum possideat, & quòd tempus renovationis petendæ non currat, nisi à die possessionis adeptæ.* Unde à contrario sensu inferitur. Si in possessione non sit constitutus, illum ex ejus neglectu Feudum non amittere; Sic, Vasallo recusante Domino Juramentum fidelitatis, non tenetur Dominus eum investire, contrà verò debet eum investire.

2. F. 24.

2. F. 24. §. 1. Nisi argumentum à contrario sensu ductum corrigat aut tollat ipsum Jus Feudale, nam tùm directa autoritas est potentior. Bacch. volum. 2. disp. 18. inf. 4. Deniq; si neq; de tenore Investituræ, neq; de consuetudine constet, nec casus vel in verbis, vel mente Feudalium constitutionum habeatur, recurrendum est ad Jus commune. 2. F. 1. Sicut fieri potest, ut Consuetudinibus Feudalibus in causis non feudalibus utamur, & Judex secundum eas litem decidat, modò decisione Joris Civilis destituamur, quam sententiam amplectens quoq; Wesemb. de Feud. in proëm. inf. ferè in hæc verba prorumpit. *Quod eò minus displicere debet, quòd communius in alijs quoq; consuetudinibus honestis id usurpatur: Ut videlicet, quoties ratiocinando à Jure Civili adjuvari non possumus, idem argumentum à consuetudine petamus, eamq; ad usus similes applicemus. Idem probatur c. f. X. de Consuet.*

§. Quoniam autem omne Jus constat aut scripto, aut sine scripto. §. 3. Just. de I. N. G. & C. 1. e. vel expressè saucitum est, vel non, argumento l. 32. §. 1. de LL. Cicero lib. 1. de LL. Vult. libr. 1. Feud. c. 1. n. 4. (non enim per Jus scriptum illud intelligitur, quod in scripturam redactum est, cum scriptura non requiratur de essentiâ legis, l. 2. C. de sum. Urbis Constant.) & etiam extrâ territorium jubenti impunè non paretur. l. f. de Jurisd. Quæri hic solet, An Consuetudines Feudales sint pars Juris scripti, & an teneant jam Imperio Romano subjectos. Quod ad primam quæstionem attinet, distinguendû putamus inter Consuetudines Feudales, & Constitutiones Feudales Imperatorum, sc. Lotharii, Conradi, Friderici & c. Priori casu non sunt pars Juris scripti, ut inscriptio Feudalium Consuetudinum Juri Justiniano annexarum indicat, incipiunt enim sic, *Consuetudines Feudorum & c.* Idem videtur probare textus 2. F. 1. Vult. lib. 1. c. 1. n. 2. posteriori verò sunt pars Juris scripti. §. 3. Inst. de J. N. G. & C. Nec obijcitur, quòd in Rubricâ libri primi Feudorum ab initio non etiã simul mentio fiat Constitutionum Feudorum; nam inde fit, quòd à potiori fiat denominatio, cum Consuetudines illæ plura contineant, quàm Constitutiones. Quod secundam quæstionem concernit, respondemus omnino, quòd sic. Etenim in omni consuetudine duæ sunt partes essentielles. 1. ò Materiale, quod sunt illi ipsi actus populi, qui hoc vel illo modo constanter observantur. 2. ò Formale, quod est tacitus summæ Majestatis consensus, Et quidem in statu Democratico hæc ferè confunduntur. l. 32. de LL. In Aristocratico verò & Monarchico statu ò materiale est à popu-

A 3

lo, For.

lo, Formale verò à summâ Majestâte. Quare cùm Jus Feudale Juri Justitiæ eo subjectum non tantùm in scholis, sed etiam foro ante per multos annos sit receptum, ideò habet vim legis, huicq; Juri tacito consensu summæ Majestatis autoritas est indita. *argumento eorum, quæ habet Vult. lib. 1. Feud. c. 1. n. 5. Vvesenb. de Feudis in præm. n. 3. Goed. disp. 1. th. 6.*

6. His ità præmissis derivationem Feudi, & quàm varie Feudum accipiat, dispiciamus. In derivatione Feudi multiplices alii illud deducunt à fœdere, eo quòd tractatu habito inter Vasallum & Dominum de re in Feudum concedendâ ad mutuam fidelitatem fœdere se astrinxisse videntur. *Goed. disp. 1. th. 11. lit. b. Zas. in epit. feud. part. 1. n. 2. Vult. lib. 1. Feud. c. 2. n. 3.* Alii à faida sive feida, *Horom. in disp. feud. c. 1. vers. quæ cùm ità se haberent, Jacob. Columb. in c. 1. qui Feuda dure possunt,* quòd vocabulum Longobardicâ linguâ significat inimicitiam. *Goed. præall. loco,* vel bellum. *Vult: prædicto loco,* quòd nimirùm Feudis originem dederint bella. Alii à fide seu fidelitate, quæ notatio habetur. *2. Feud. 3. inf.*

7. Sed, relictis aliis derivationibus, Feudum non uno modo capitur. 1. Significat ipsum Jus Feudale, ut ostendit inscriptio Consuetudinum Feudalium, & hoc modo definitur, Quòd sit Jus primùm moribus Longobardicis introductum, & deinde Constitutionibus Principum auctum. 2. significat ipsum contractum, per quem Feudum constituitur, & ille contractus, nihil aliud est, quàm investitura. *1. F. 4. §. 3. Goed. disp. 1. th. 12. lit. c.* definiturq; hoc modo, Quòd sit contractus, quo Dominus rei suæ dominium utile Vasallo & ejus heredibus in perpetuum dat. *1. F. 1. §. 3. Vvesenb. de Feud. c. 1. n. 12. 3.* significat ipsam rem Feudalem in Feudum concessam, & hoc modo definitur, Quòd sit res immobilis. *2. F. 1. §. sciendum,* sub fidelitate concessa fruendi. *2. Feud. 3. inf.* 4. significat tractatum habitum inter Vasallum & Dominum, antequam Feudum concessum. *Goed. disp. 1. th. 12. lit. d.* 5. Jus, quòd Vasallus in re Feudali habet. *Goed. d. disp. d. l.* & hoc modo definitur, Quòd sit Jus utilis Dominii in re immobili, vel æquipollenti sub conditione fidelitatis constitutum. Quòd sit Jus, habetur. *1. F. 25.* Quòd sit Jus utilis Dominii, constat ex eo, quòd Vasallus plenissimam rei in Feudum sibi datæ utilitatem percipiat, cùm & rei vindicatio ipsi detur, quæ datur non nisi Domino, immò potest etiam rem vindicare ab ipso directo Domino, *2. F. 8. §. rei* Per id, quòd æquipollet rei immobili, intelliguntur Jura. *2. F. 1. §. sciendum.* Per verba finalia, sub conditione fidelitatis constitutum, non est intel-

45  
intelligendum, quod non prius constituitur, nisi fidelitatem præstet, sed ita est intelligendum, ut fidelitatem præstet, si occasio contingerit *Wenb. de Feud. c. 1. n. 11.*

8 Neq; hic facere possumus cum iis, qui volunt definire Feudum per Ususfructum. 1. Quia Ususfructus est rei alienæ. *pr. Inst. de ususfr.* Feudum verò aliquo modo propria est res Vasalli, ut patet ex effectibus, nam habet eoldem effectus, quos Dominus. *2. F. 8. §. rei*, quod negatur de Ususfructuario. *l. 1. si ususfr. petatur, l. 1. §. 20. de novi operis nuntiati in verbis, Ususfructuarius ususfructum vindicare tantum nomine procuratorio potest.* 2. Ususfructus est servitus personalis, Jam autem Vasallus non habet jura servitutis, sed Domini, *ut patet ex præcedent.* 3. Ususfructus consolidatur morte usufructuarii. *§. 3. Inst. de ususfr.* Feudum non finitur, sed conceditur in perpetuum. *1. F. 1. §. 3.* 4. Ususfructus producit actionem confessoriam & negatoriam. *l. 5. §. ult. si ususfr. petatur, l. 4. §. 2. si servitus vindic.* Feudum verò ipsam rei vindicationem, *sapè all. textu 2. F. 8.* An sit beneficium? *textus probant, 1. F. 21. 22. & 23.* nec est contra naturam beneficii mercedem præstari, si fortasse Feudum ematur. *l. 3. de obsequem parent. & patron. præstand.*

9. Discussa variâ Feudi acceptione ad divisionem Feudi pergere proximū erit. Summa itaq; divisio Feudorū hæc est, quod Feuda aut sint propria, aut impropria, sive quod idē est, recta vel degenerantia. *2. F. 81.* Feudū proprium est, quod secundum Jus Feudale commune datum, neq; ullâ conventionē aut pacto alteratum est, *germ. das eines rechten Lehenguts Eigenschaft hat. Goed. disp. 2. th. 8. Vult. l. 1. Feud. c. 8. n. 37.* & dividitur. 1. In Seculare & Ecclesiasticum. Ecclesiasticum Feudum, *germ. ein frumbstâbisch Leben. Vult. l. 1. F. c. 8. n. 43.* (ex eo quia Episcopi solent uti baculo in summitate curvato & inflexo) dicitur, quod in rebus Ecclesiasticis est constitutum, *2. F. 35. Vult. l. 1. Feud. c. 8. n. 19.* Nam Feudum Ecclesiasticum non est judicandum ex causâ efficienti, quod nempe Vasallo datur à personâ Ecclesiasticâ, tanquam privatâ in rebus propriis, vel quod personæ Ecclesiasticæ constituitur, vel ratione familiæ, quod nempe ex hac vel illâ familiâ sit, vel aliâ de causâ. *Vult. jam alleg. loco, ubi dicit. Non ex personarum, sed ex rerum qualitate æstimandum est, Feudum Ecclesiasticum sit, an seculare, atq; adeo hæc distributio non ad efficientem, sed materialem causam referenda est.*

10. Seculare est, quod in re Laicâ, sive seculari est constitutum. *Goed. disp.*

*diff. 2. th. 6.* estq; vel nobile, vel ignobile. Nobile dicitur non ratione materiae, sed causae efficientis, & est, quod conceditur ab eo, qui habet potestatem & voluntatem nobilitandi; si unum deficiat, Feudum ignobile dicitur. *Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 9.*

11. Nobile iterum est vel Regale, vel non Regale. *1. F. 14.* Regale dicitur, quod conceditur ab illo, qui non recognoscit superiorem, simul cum Regalibus. *Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 10.* quae Regalia efficiunt, ut eadem Jura Vasallus habeat, quae Imperator, exceptis iis, quae ab Imperatore in signum summæ Majestatis sunt reservata, quale Feudum est Marchionatus, Ducatus, Comitatus, germ. *Ein Fahrenschett* / ex eo, quod olim porrigebatur Vasallo vexillum in Investiturâ, sicut quando personis Ecclesiasticis Feudum conceditur, dicitur *Ein Scepterschett* / ex eo, quod olim porrigebatur ipsis sceptrum in Investiturâ, qui tamen mos defuit, sed ejus loco porrigitur Vasallo ensis, cujus extremitatem oportet illum osculari. *Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 29.* Feudum non Regale dicitur, quod conceditur à summo Principe, vel ab alio potestatem nobilitandi habente, sine Regalibus. *Vult. præd. loco, 1. F. c. 8. n. 10.* & talia sunt Feuda, quae Nobiles possident. Et quia nobilitas non inhæret rei, sed personæ, terra non nobilem, sed persona terram nobilem facit, argumento nobis erit, discrimen esse inter Marchionem & Marchionatus possessorem, & si Imperator investiat aliquem Marchionatu, nec faciat cum Marchionem, habendum tantum eum esse pro ejus possessore, non verò Marchione. *Vult. sæpè alleg. textu.*

12. Proprium porro fuit Feudorum Regalium, quod successores eorum non potuerint olim illa dividere. *2. F. 55. §. 1. vers. præterea,* hodiè tamen per consuetudinem contrarium est receptum. Excipiuntur ab hac consuetudine, quod sc. Feuda Regalia possint dismembrari, 1. Electoratus, in quibus semper succedit primogenitus. *Aur. bull. tit. 24.* 2. Excipiuntur illorum Feuda Regalia, in quorum familiis introductum est Jus primogenituræ. Ratio autem, cur olim prohibita fuerit Feudi Regalis divisio, hæc est, quia in quo plures partes dividuntur, eò fiunt debiliores vires Vasallorum. Jam eum in finem dantur Feuda, ut in bello Domino auxilia præbere possint, E. si debiliores eorum vires sunt, qui Feuda possident, non possunt ita, quemadmodum oporteat, assistere directis Dominis. Quapropter è re Imperii nostri esset, ut ad illam Juris Feudalis constitutionem rediremus, cum videmus etiam, factâ tali divisione, generis

95

generis dignitatem seu statum ex tam minimis proventibus sustentari non posse. Quod & intellexerunt milites Dionysii, Tyranni Siciliae, de quibus Justinus lib. 21. c. 1. his verbis refert, quod extincto Dionysio maximum natu ex filiis ejus, nomine Dionysium suffecerint, & naturæ Jus secuti, & quod firmitus futurum esse Regnum, si penes unum remansisset, quam si portionibus inter plures filios divideretur, arbitrabantur.

13. II. Feudum proprium aliud est Masculinum aliud Foemininum. 2. F. 30. Masculinum est, quod masculus acquirit. Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 3. etiam si vel ab initio, vel postea hoc pactum addatur, ut foeminae in eo perinde ac masculi succedere debeant. Goed. disp. 2. th. 1. quamvis hoc casu degeneret in Feudum improprium. 1. F. 1. §. 3. Foemininum, quod à foeminâ primum est acquisitum, nam etiam si masculus tantum in eo succedat, tamen foemineum est. Vult. d. l. prima enim origo ejus est inspicienda, licet improprie & de hodiernâ consuetudine dicatur etiam illud, quod ad foeminas est transitorium, in quo nempe est pactum, ut in eo foeminae quoque succederent. Vult. ibid. Etiam si autem Feudum sit foemineum, sive concessum sit expressâ unicâ tantum foeminâ, mares tamen & foeminae unâ succedere non possunt, sed foeminae non aliter admittuntur, nisi deficiant omnes descendentes masculi ex primo acquirente. 1. F. 8. quo casu foeminâ semel exclusâ per masculum perpetuò non secluditur. Vult. lib. 1. Feud. c. 9. n. 52. Quid, quando dubium oritur, utrum Feudum sit foemineum, an verò masculinum? praesumendum est, esse masculinum, non foemininum, quia naturalia semper praesumuntur. l. 22. in f. ad L. Jul. de Adult. in verbis, Plerumq; pietas paterni nominis consilium pro liberis capit, Jam masculos habere Feuda, est Feudi naturale. 1. F. 1. §. 3.

14. III. Feudum proprium aliud est Novum, aliud Antiquum. 2. F. 91. Novum dicitur, quod ab Investito est acquisitum. 2. F. 18. 2. F. 32. Vetus, quod successores sine ullâ traditione & Investiturâ jure successio- nis consequuntur. 2. F. 8. 2. F. 50. ut ut recognoscere intra annum & diem debeant. 2. F. 24. in pr. 2. F. 40. 2. F. 52. in f. item 2. F. 55. Feudum verò antiquum & paternum nunquam sibi invicem opponuntur, sed quemadmodum Feudum novum opponitur antiquo. ita quoque Feudum novum opponitur paterno. 2. F. 3. in pr. 2. F. 32. 2. F. 11.

15. Hæc proprie sint dicta de Feudo novo & antiquo. Per abusum nonnunquam fit, ut Feudum, quod reverà novum est, dicatur vetus.

B

Domi-

Dominus quippe Vasallo potest concedere Feudum novum sub qualitate antiqui, *Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 6.* hoc observando, Feudum sub tali conditione concessum ratione originis & causæ efficientis pro Feudo novo, ratione Juris & effectuum pro Feudo antiquo habendum esse. *Vult. d. l. Gaill. 2. observ. 50. Myns. cent. 4. observ. 84.* contra non procedit: nam quicumq; succedit in Feudo, non succedit proximè defuncto, sed primo acquirenti, Jam illud jus omnibus successoribus semel est quæsitum, E. per Dominum sub ejusmodi pacto novi Feudi non potest interverti. *argum. 2. F. 55. Myns. d. l.* Ad effectus enim Feudi antiqui pertinet, quod in antiquo agnati & collaterales deficientibus succedant, *1. F. 14. 2. F. 50.* aut in novo Feudo non succedunt collaterales, ratio, qui primus acquirens prospicere voluisse sibi & descendentibus intelligitur *2. F. 18.* Et verum est hoc, etsi duobus Fratibus, Feudum communiter sit concessum *1. F. 1. §. 2.* Sed limitatur. 1. Si specialiter aliter placuerit, *1. F. 7. §. 2. 1. F. 20. 2. F. 18.* quo casu in Feudo novo frater fratri succedit, taciteq; hoc pactum intelligitur. 2. Si fratres sint consortes universorum bonorum, & unus sciente Domino ex communi pecuniâ Feudum acquirat *1. F. 20.* aliud verò est, eo ignorante si fiat, *2. Feud. 12.* 3. Si unâ fratres in unâ casâ habitantes à sciente Feudum acceperint, frater succedit *1. F. 20.* Item, si in hostem Domini duo fratres Feudum acquiserint *d. 1.*

16. IV. Feudum proprium aliud est Ligium, aliud non ligium, *2. F. 99.* Ligium dicitur à ligando, quia hoc Feudum Vasallum cum Domino constringit fœdere arctiori. *Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 20.* & est, Ob quod Vasallus fidelitatem & operam Domino, i. e. summo Principi promittit adversus omnes, *2. F. 99.* & qui ita astrictus est dicitur homo ligius. *Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 20.* Ut autem dicatur Feudum ligium, requiritur 1. À parte Domini concedentis, ut non recognoscat superiorem, à parte quoq; accipientis, ut neq; ille præter Dominum recognoscat superiorem, *2. F. 99. 2. F. 52. §. 2. ibi, quia nullum alium Dominum habere videbatur.* 2. In Feudo ligio non admittitur poenitentia, i. e. Vasallus non potest Feudum refutare. *Vvesenb. de Feud. c. 2. n. 9.* 3. Vasallus ligius non potest esse plurium; sic qui homo ligius est in Galliâ, non etiam homo ligius fieri potest Imperatoris Romani. *Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 21.* 4. Vasallus ligius omnia bona Domino subjicit, *Vves. de Feud. d. l.* 5. Alii addunt, in Feudi ligii Investiturâ dici debere, hoc esse ligium, sed non necesse est, cum ex formulâ Investituræ satis hoc elucescat, Cognito sic Feudo ligio,

gio, simul intelligere facile est, quidnam sit Feudum non ligium.

17. Improprum Feudum dupliciter dicitur, vel enim sic dicitur ex ipso Feudali Jure, vel ex pacto accipientis & concedentis. Priori casu Feudum improprum dicitur. 1. Feudum de Camerâ & de Cavenâ. 2. F. 58. quorum prius dicitur, Cum ex ærario Domini certæ pecuniæ Vasallo solvuntur, posterius, Quando certum frumentum singulis annis ex penuario Domini Vasallo præstatur, *Goed. disp. 2. th. 10.* 1. Feudum Guardix & Castaldix, 1. F. 2. diciturq; Feudum Guardix, quod propter custodiam arcis vel oppidi conceditur, Castaldix, quod conceditur à Domino illi, qui res vel negotia Domini administranda suscepit. *Goed. d. l.* Sic Feudum habitacionis ex ipso Jure Feudali improprum dicitur. 2. F. 75. Et dicuntur inde impropria, quia non sunt transitoria ad heredes, & interdum etiam inofficiosa sunt, non verò officiosa. Posteriori casu ex pacto accipientis & concedentis dicuntur Feuda impropria, quale est Feudum fœmineum improprie sumptum. 2. F. 30. Feudum pignoratitium, germ. Ein Pfandlehen/ aliàs per antichresin datum, *Goed. disp. 2. th. 9. 1. F. 11.* ut quando in investiturâ dicitur, Feudum pro certâ pecuniæ summâ esse concessum, quod restitutâ pecuniâ potest revocari. *Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 46. 47.* Feudum emptum. *Vult. d. c. n. 45.* Item, Quando Vasallus Domino quotannis certam annuam pensionem præstare tenetur, *Goed. disp. 2. th. 8. lit. e.* aliàs tenetur ad servitia militaria. 2. F. 23. Item in quo Juramentum remittitur, *Vvesenb. de Feud. c. 2. n. 10.* Item Feudum conditionatam. *VV. d. l.* quando sc. Vasallus tenetur unum aliquod servitii genus præstare. *Vult. lib. 1. c. 8. n. 49.* si tamen præter certum servitium expressum Vasallus & alia in genere debeat, quæ sunt Vasalli, merito Feudum absolutum & rectum dicitur. *Vvesenb. sæpiùs alleg. loco.* Ejusmodi etiam est Feudum Francum, quando Vasallus liber est ab omni servitio. *Vult. d. c. n. 50.* Item, cum omne directum Dominium in Vasallum transfertur. *Vvesenb. de Feud. c. 2. inf.* ubi dicit, *hoc casu durare Feudum, quamdiu fidelitas & servitia præstantur.* Quamvis autem ratione naturalium Feudi in uno sit improprum, in cæteris tamen est proprium, 2. F. 48. *Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 53.*

18. Ex eadem pharetrâ divisionum Feudorum profertur Feudum hereditarium & pactonatum, quâ quidem nihil frequentius est in ore Feudistarum, nullum tamen habet fundamentum in Jure Feudali, & volunt ejus fundamentum poni in Jure Civili, per l. 22. §. 1. de operis libert.

*l. 7. §. 6. d. t. l. 5. de religiof. & sumpt. funer. & l. 13. C. eod.* Verùm hæc  
 de Feudis non agunt, sed indicant tantùm differentiam inter heredes &  
 liberos. Verius est itaq; , ut dicamus, hanc divisionem esse fundatam in  
 literis Investituræ, ut fit Feudum hereditarium, germ. *Ein Erbêehen*/  
 quando in literis Investituræ positum, Feudum esse concessum pro se &  
 heredibus, *Pactionatum*, germ. *Ein Stammêehen*, quando in literis  
 Investituræ positum, Feudum concessum esse liberis, vel liberis descen-  
 dentibus, nullâ factâ mentione heredum. Est ergò Feudum hereditarium,  
 quod ex verbis in Investiturâ expressis acquirit hereditariam qualitatem,  
 quod fit, cum instar omnium rerum hereditariarum ad quoscunq; etiam  
 extraneos heredes devolvitur, & tùm non fit jure sanguinis, sed heredi-  
 tatis. *Gaill. 2. observ. 154. Goed. disp. 2. th. 11.* Sed quid in fœminis, an in  
 Feudo dato pro se & heredibus succedere possint? Et respondemus  
 quòd non, *Gail. d. l.* potest tamen excipi, si feudum sit fœmineum. 2. Si  
 Dominus ex gratiâ mortuo patre sine maribus liberis filiam investiat, si  
 modò fiat sine præjudicio agnatorum. 3. Si consuetudo fœminas vocet.  
 4. Si Feudum expressè sit concessum maribus & fœminis heredibus. *Wes-  
 senb. de Feud. c. 6. n. 22.* Præterèa Feuda præsumuntur esse pactionata,  
 non hereditaria, quia verba cujuslibet dispositionis propriè sunt  
 accipienda, proprietas autem Feudi est, ut sit pactionatum. 2. Qualitas  
 extrinseca non præsumitur, *l. 126. §. 2. de V. O.* Jam ut Feudum ad quos-  
 cunq; devolvatur est qualitas extrinseca, *Goed. disp. 2. th. 12. Vult. c. 8.  
 n. 32. & 33.*

19. Præter has & aliæ divisiones addi possunt, ut sc. Feudum aliud fit  
 perpetuum, aliud temporale, Aliud personale, aliud reale, Item aliud rerû  
 corporalium, aliud incorporaliû, Item aliud dividuum, aliud indivisuum  
 aliud in Curte Domini, aliud extrâ Curtè, cujus mentio fit. *1. F. 5.* Et quidè  
 Feudum in Curte dicitur, quod Vasallus possidet in territorio Domini  
 suum, *Gothofr. ad dict. textum.* item *2. F. 51. in pr.* denotatq; Curtis aulam.  
*Vult. lib. 1. Feud. c. 8. n. 18.* licèt sint, qui velint, Feudum in Curte dici, quan-  
 do Dominus retinet possessionem ejus, & aliquid ex eo Vasallo quotan-  
 nis præstat, in qua sententiâ est *Vultei d. l.* prior tamen acceptio est  
 communior, ut ipse *Vultei* fatetur. Verum enim verò quia *natura no-  
 vas deproperat edere formas.* *2. F. 24.* sicq; multis modis contingere po-  
 test, ut aliæ emergant causæ, quæ circâ naturalia Feudorum mutationem  
 inducant, & eâ ratione aliis præter enarratas Feudorum divisionibus  
 causam

causam deat, ad Feudi constitutionem & acquisitionem transitum facimus.

20. Constituitur Feudum per Investituram tantum, 1. F. 25. ubi dicitur, *Feudum sine Investiturâ nullo modo constitui posse, etiamsi Domino iubente quis alicujus rei possessionem nomine Feudi nanciscatur & teneat.* Investituræ vox est antiqua, Juri Civili incognita, & habet originem à Longobardis, vocaturq; sic à veste, videatur *Vult. 1. F. c. 7. n. 5.* Investitura autem unâ eademq; significatione non semper accipitur, interdum enim significat ipsam Feudi possessionem, 2. F. 2. 2. Ipsius Investituræ literas, germ. *Die Lehensbriefe.* 2. F. 18. 3. & propriè ipsum actum investiendi, germ. *Die Belehnung/ die LehensEmpfängniß.* *Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 6.* sive sit renovatio, sive sit de novo Feudo facta. 2. F. 3. in pr. In quâ etiam tertia & genuinâ significatione convenit cum definitione Feudi in secundâ significatione, quam supra posuimus *th. 7.*

21. Investitura porro alia est propria, alia impropria, textus est in 2. F. 2. Prior dicitur, quando Vasallus actualiter in possessionem rei Feudalis introducitur. *Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 9.* quâ actuali traditione Vasallus simul consequitur Dominium utile, & rei vindicatione Feudum à quocunq; consequi potest. 2. F. 8. Posterior, quando Dominus dedit Feudum Vasallo sine corporali possessionis traditione, porrecto tamen signo, ut gladio, vel simili, *Vult. d. l.* quâ abusivâ Investiturâ Vasallus non consequitur Dominium in re, nec habet ejus possessionem, sed habet tantum actionem ad rem, quâ adversus Dominum agere potest ad introductionem. 2. F. 26. *si facta.*

22. Investitura tamen illa impropria plus efficit, quàm nuda promissio de Feudo dando facta, quæ promissio Feudi est conventio ad Feudum per Investituram alicui constituendum facta. Et illa promissio fit vel de re allodidi, vel feudali. 2. F. 26. §. *Moribus* & utraq; valet, vocaturq; posterior expectantia. Et hæc iterum est duplex, vel enim est promissio certa, vel incerta, prior, quando Feudum in casum certi Vasalli sine liberis vel agnatis morientis promittitur, germ. *Ein benandlich Lehens*/ posterior, quando non certi Vasalli certum Feudum, sed quod primum aperietur promittitur, germ. *Ein Ir Lehens.* Ubi non prætermittendum, quod illa promissio de Feudo facta perveniat ad heredes Vasalli, si Vasallus ante apertum Feudum, quod ipsi promissum est, mortuus sit. §. 4. *Inst. de V. O.* Sin Dominus promissor ante Feudum apertum mortuus fuerit,

distinguendum est inter Dominum promissorem Laicum & Ecclesiasticum, posteriori casu promissio non obligat successorem, priori verò subdistinguendum, aut enim succedentes sunt heredes, aut successores feudales, priori casu heres debet stare promissioni ab antecessore factæ, posteriori non, ut si agnati succedant, non opus habent stare promissioni. 2. F. 9. 1. F. 25. Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 15.

23. Sed ut redeamus ad effectus Investituræ abusivæ, qui distinguunt eandem à promissione nudà de Feudo dando facta, omninò habendum, quòd, qui nudè tantùm promisit Feudum, possit se præstando interesse liberare, si abusivè Investitura facta, non possit præstando interesse se liberare, 2. F. 26. §. si facta.

24. Investitura propria iterum subdistinguitur in veram & præsumptam. Prior, quando Vasallus actualiter in Feudum introducitur, ut ex prædictis liquet. Posterior, quæ tamen vix meretur nomen Investituræ, quando realiter Feudum à Domino Vasallo non conceditur, sed intervenit aliud aliquid, quod facit præsumi cessionem à Domino esse factam, sitq; dupliciter, vel enim fit per præscriptionem, ut si quis rem possederit per 30. annos, & Domino servitia præstiterit, habetur pro Vasallo. 2. F. 26. §. si quis per 30. annos, Wesenb. de Feud. c. 6. n. 3. vel Judicis sententiam, ut si duo litigent, alter rem feudalem, alter allodiam asserens, & Judex sententià feudalem esse declarat, si sententià in rem judicatam transeat, habetur pro Investiturâ, perinde ac si cessio à Domino facta fuisset testatò. argumento l. 207. de R. J.

25. Mentione præscriptionis factâ, quinque nobis offerunt se questiones, quarum prima, An quis ita rem alterius possidere possit, ut lapsu alicujus temporis tanquam feudalem eam præscribere possit. Et respondemus, quòd sic. 2. F. 26. Ad præscriptionem autem hanc perficiendam, ut scilicet Vasallus Dominium utile præscribere possit, requiritur. 1. Continquata possessio. Vult. lib. 1. Feud. c. 9. n. 13. 2. Bona fides. 2. F. 87. 3. Lapsus 30. annorum. 2. F. 26. §. 4. 4. Ut illa res tanquam feudalis sit possessa. d. c. 5. Ut possessor ejusmodi rei à Domino fuerit requisitus ad præstanda servitia, & ei quoq; tanquam seniori exhibuerit servitia, & sufficit, si vel unâ vice requisitus exhibuerit servitia. d. §. si quis per 30. in verbo servitium, quod singulare est.

26. II. Quæritur, An Vasallus possit præscribere Dominum directum, ita ut non amplius rem tanquam feudalem, sed pleno jure habeat.

Et

45

Et respondemus quòd non. *Vult. lib. 1. Feud. c. 9. n. 18.* ubi dicit; *Præsupponitur enim eum, qui possidet, reverà esse Vasallum, atq; ideò rem possessam esse feudalem, quo posito, possessor animum habet possidendi rem quidem ipsam non suo, sed Domini nomine, Feudum autem, à quo res Feudalis dicitur, nomine suo proprio.* Vasallus tamen possessionem civilem Domino intervertere potest, si nempe Vasallus à Domino requisitus ad servitia ea denegaverit, & Dominus acieverit denegationi, tùm enim Vasallus rectè dicitur præscripsisse 30. annorum spatium, *Vult. lib. 1. Feud. c. 11. n. 10. argum. l. 19. §. 1. de acquir. possess.*

27. III. Quæritur, An Dominus possit præscribere libertatem rei suæ, i. e. si Dominus possederit rem feudalem per lapsum 30. annorum, an Vasallus privetur Dominio rei utili. Et respondemus, quòd sic, *Vult. lib. 1. F. c. 9. n. 17.* modò adsit bona fides. *Rosenth. in synopsi suâ feud. c. 6. conclus. 139.* si tamen Vasallus, qui passus est præscribi rei Feudali, habet agnatos, Vasallo tantùm nocet, non etiam ejus agnatis. Ratio est, quia Jus primâ providentiâ acquisitum non debet per unius negligentiam alteri auferri. E. præscriptio completa contra decessorem non præjudicat successori. *1. F. 1. §. 2.*

28. IV. Quæritur, An Dominus rem prorsus alienam præscribere possit, ità ut acquirat Dominium directum, & alter fiat Dominus utilis. Et respondemus quòd sic, modò Dominus fundi præstet servitia respectu fundi requisitus ad servitia, & eo casu potest quis Dominium in alienâ re præscribere, & prior Dominus perinde habetur, atq; si posteriori rem in Feudum obtulisset. *Vult. libr. 1. Feud. c. 9. n. 16.*

29. V. & ultimo quæritur, si Vasallus rem feudalem in alium alienaverit sine consensu Domini, & ille, in quem alienatio facta, possederit eam per 30. annos, an valeat alienatio, Et respondemus, quòd non. *2. F. 40. & 55. in pr. Nos autem.* Ratio est, quia quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere. *d. 2. F. 55. & l. 29. de R. J.*

30. Expediã Investituræ notatione & divisione, de personis, quæ Feudum per Investituram constituere & accipere possunt, trademus. Utramq; autem Investituram facit vel Dominus ipse, vel eam impertitur, per suum Procuratorem. *2. F. 3. §. sed utrum,* quemadmodum Vasallus aut per se, aut per Procuratorem, & similes eandem accipit. *2. F. 3. 2. F. 58.* Et quidem omnes personæ rationis compotes, tam Ecclesiasticæ, quàm seculares, tam mares, quàm fœminæ, tam nobiles, quàm ignobiles, modò Domini sint, & liberam suarum rerum administrationem habeant, res  
suas

suas in Feudum dare, aut Feudum efficere, superq; Feudo Investituram impertiri possunt. 2.F. 3. in pr.

21. Ecclesiasticarum personarum, quæ Feudum dare, & de Feudo Vasallum investire possunt, tres constituuntur ordines; alius enim est gradus summus, alias medius, alias verò infimus. In primo grada collocatur Papa, qui non tantum proprias, sed & Ecclesiarum res in Feudum dare potest, & hoc non tantum verum est de rebus Ecclesiæ Romanæ, sed & aliarum Ecclesiarum. *Zaf. epit. feud part. 5. n. 44.* si tamen rem pretiosam, ut urbem, diocesim in Feudum dare velit, non potest id facere, nisi Cardinalium consensu. *Vult. lib. 1. Feud. c. 3. n. 10.* & si appareat, rem inferioris Ecclesiæ ab Abbate vel alio in Feudum datam, non potest Papa Vasallo illam auferre. *c. ult. X. de Feud.* In secundo gradu collocantur Legatus Pontificis, Patriarchæ, Archiepiscopi &c. In tertio ordine collocantur Abbates, Abbatissæ, Præpositi &c. Et quidem in hoc ordine, sicut & in secundo distinguendum est inter Feudum antiquum & novum, quod nempe secundi & infimi ordinis liberè possint res Ecclesiasticas, quæ non immediatè inserviunt cultui divino, qualia sunt villæ, prædia, pascua, in Feudum antiquum dare, si modò solitæ fuerint in Feudum dari. *Zaf. epit. Feud. part. 4. n. 47.* nam quæ res Ecclesiasticæ immediatè inserviunt cultui divino, quæ dicuntur alias res spirituales, quia commercio hominum sunt exemptæ. *§. 7. Inst. de R. D.* planè non possunt in Feudum dari, quod intelligendum, si sigillatim debeant in Feudum dari, nam per consequentiam possunt in Feudum dari & concedi. *l. 24. de contrah. empt. arg. l. 53. §. 1. de action. empt.* Quod in iis, quæ sunt prioris generis, tam verum est, ut, etiam si juraverint se absq; Papæ consensu id non facturos, nihilominus teneantur conferre. *c. ult. X. de Feudis*, nisi speciali lege non solum ad Prælatum, sed etiam ad Capitulum illa datio spectet, tum enim non possunt Feudum antiquum dare sine ejus consensu, vacante autem Prælatura Capitulum Prælaturam repræsentat. *Zaf. epit. Feud. part. 5. n. 48.* Quod attinet Feudum novum, neq; res Ecclesiasticas, quæ vel vocantur Tituli, germ. *Die Taffel Güter*, quæ bona sc. in alimenta Prælatorum sunt destinata, neq; alias res Ecclesiasticas, qui sunt medi & infimi ordinis in illud concedere possunt, cum non sint Domini earum rerum. Res proprias pro lubita in Feudum dare possunt.

32. Ad oblatam distinctionem monemus, Feudistas quidem ita communiter distinguere & dicere, quod res Ecclesiasticæ in Feudum dari solitæ possint

45  
possint in Feudum dari, aliàs non, ea tamen distinctio, utut communi-  
ter ità distinguant, caret omni fundamento, textus est. 1. F. 1. & 2. F. 91.  
ubi non distinguitur, an res in Feudum dari sit solita, an verò non, sed  
distinguitur inter personas, an Feudum dare solita fuerint, an non, Quan-  
do autem de Prælatis dicitur, an Feudum dare soliti fuerint, nee ne, non  
est intelligendum in individuo, sed in specie, ut, si antecessor solitus sit  
rem in Feudum dare, possit idem & successor absq; consensu Capituli,  
quia ejusmodi infeudatio à Prælato facta, cum alij etiam infeudare soliti  
fuerint, non est nova Feudi datio, sed tantum Feudi repetitio.

33. Quando de Decimis quaritur, an in Feudum dari possint, distin-  
guere solent, An Decimæ ante Concilium Lateranense, anno Christi  
1379. habitum, sint infeudatæ, an verò post, priori casu dicunt, posse eas  
in Feudum dari, posteriori non. c. 19. X. de decimis. Vult. lib. 1. Feud. c. 5. n.  
13. sed quia non semper constat, an ante, an post Concilium illud sint  
infeudatæ, dicunt, si per tempus immemoriale à Laicis sint possessæ, benè  
posse eas infeudari, secus non. Vult. d. 1. Prædicto tamen capitulo derogat  
c. 1. de rebus alien. in sexto. ibi enim non dicitur, tale Feudum non valere, si  
post Concilium Lateranense sit datum, sed quia Feudi sollemnia non fue-  
rint adhibita, B. rectè statuimus, post Concilium Lateranense benè posse  
Decimas in Feudum dari, quod etiam apud nos protestantes dubium non  
habet. Vult. d. 1.

34. Personarum secularium etiam tres constituuntur ordines, sive  
gradus. In primo gradu est Imperator, Reges superiorem non agnoscentes,  
sicut & liberæ civitates non agnoscentes superiorem. In quo ordine  
commodum est, ut manum admoveamus, ad quæstionem, An Feudum  
Imperio apertum alij Imperator concedere possit. Et distinguimus inter  
Electoratus, & alia Imperii Feuda, priori casu quando Electoratus aper-  
tus est Imperio, sine consensu Electorum ab Imperatore alteri in Feu-  
dum dari potest. Aur. bull. c. 7. §. penult. posteriori casu, ut quando Du-  
catus, Comitatus, Marchionatus, talia Feuda iterum Imperio debent  
incorporari. An autem incorporentur aperta, aliis dijudicandum relin-  
quimus. In secundo ordine collocantur Duces, Marchiones, Comites,  
qui omnes Feudum dare possunt. 1. F. 1. absq; tamen suæ dignitatis & di-  
tionum detrimento. Zaf. epit. feud. part. 5. n. 15. In tertio ordine collo-  
cantur plebei & rustici, quia liberam habent rerum suarum administra-  
tionem. Limitatur, si quando consuetudo alicujus loci contrarium ser-  
vet. Sic foeminae dare possunt Feuda, 2. F. 3. & mulieribus liberrima re-

C

rum.

rum suarum administratio concessa est l. 6. C. de revocand. donat. Idem obtinet in muliere impudicâ, & quæ vivit luxuriosam vitam ante prohibitionem alienandorum bonorum, nam licet mulieribus bona interdici possint, l. 15. de Cur. furios. dandis; perinde et masculis, masculis tamen non est prohibita alienatio, nisi pro prodigis declarati, & bonis ipsis interdici sit. l. 10. d. t. 35.

Ex generali illâ hypothesi th. 30. inferimus, quod quædam personæ prohibeantur Feuda dare per se, quadam lege. Per se, ut infans, talis persona est etiam mutus & surdus natus, qui enim sunt surdi naturâ, non possunt scire naturam Feudi, & qui sunt muti naturâ, non possunt animi sensa proferre, qui per accidens tales sunt, bene possunt Feuda dare. l. 10. C. qui testam. fac. Lege prohibeantur, qui non sunt rerum Domini, & tales sunt vel propter patriam potestatem, vel Dominicam. §. 3. Inst. per quas person. acquir. Excipiuntur bona castrensia & quasi castrensia, de quibus ut alias filisfam. disponere possunt, ita & hic in Feudum dari non prohibentur. pr. Inst. quibus non est permiss. fac. test. 2. Lege prohibentur, qui Domini quidem sunt, sed alieno reguntur arbitrio, quales sunt pupilli, §. 2. Inst. quibus alien. licet, vel non, & minores 25. annis. l. 1. §. f. de minor. 25. ann. Quamvis itaq; minor Feudum dare non possit, bene tamen potest illud renovare, si sit pupillus siue minor in specie ita dictâ, etiâ sine interveniente auctoritate tutoris & curatoris. Vult lib. 1. Feud. c. 3. n. 7. quæ renovatio est tantum confirmatio, quâ minor non facit conditionem deteriorem. VVesemb. de Feud. c. 4. n. 7. Limitatur & potest minor conferre Feudum. 1. Si ejus pater, vel alius, cui successit, rem in Feudum dandam jam alicui promissit, l. 5. §. 6. de rebus eor. qui sub tut. sed pupillus non potest hoc facere, nisi consensu & auctoritate tutoris. l. 29. de acquir. vel amitt. possess. 2. Limitatur, nisi minor juraverit sanctè se servaturum promissionem, Auth. Sacramenta puberum C. si adversus vendit. 3. Si Princeps minori vel pupillo specialem fecerit indulgentiam, l. 2. C. quando decreto opus non est 4. Si magna & insignis utilitas ex concessione Feudi in minorem sit redundatura, hinc VVesemb. de Feudis c. 4. n. 6. Minor novum Feudum dare non potest, ne cum tutoris quidem auctoritate, quod tamen verum est, cum Feudi concessio sit gratuita & donatio, nam tutor ad donandum auctor esse minori non potest ex l. 22. C. de pact. 3. Lege prohibetur à concessione Feudi prodigus. l. 1. de Curat. furios. l. 40. de R. J. Item Syndicus civitatis & Procurator, cum hac distinctione, aut Procurator Feudum antiquum vult renovare, aut novum dare, prius potest, posterius non potest, etiam si Procurator sit cum liberâ, sicut enim nec do-

nate,

75  
nare, vel transigere, l. 60. de Procurat. nisi speciale mandatum habeat; ita  
nec aliâ ratione Domini rem in Feudum dare potest. 2. Res à Procurato-  
re in Feudum data valet, si Dominus hoc cognoscens ratum habuerit,  
d. l. 60. de Procurat.

36. Venimus jam ad personas accipientes Feuda, & per consequen-  
tiam Investituram. De quibus sciendum est, Feudum posse accipere o-  
mnes, cujuscunq; etiam sint sexûs, ætatis, status, ordinis & qualitatis, nisi  
expressè inveniatur prohibitum, 2 F 3. §. 7. vers. personam, Vvesemb. de  
Feudis c. 5. n. 1.

37. Sexum quod attinet, fœminæ quòd Feuda accipiant, nulla am-  
plius superest dubitatio. 1. F. 8. §. 2. 2 F. 30. De ætate, quantum ad mino-  
res, communiter sic distinguitur. Pupilli aut sunt infantes, aut infantes  
majores, priori casu, quia naturâ nihil intelligunt, neq; scire possunt, quid  
agatur, §. 10. Inst. de inutil. stipul. Feuda accipere non possunt, & hoc in  
tantum verum est, ut ne quidem cum tutorum autoritate possint Feu-  
da accipere, tutoris enim autoritas adhibetur actûs alicujus confirman-  
di gratiâ, Jam si actus debet confirmari, debet prius existere, qui non po-  
test existere, cum ejusmodi ætatis pupilli nihil intelligant: si tamen quis  
velit pupillo Feudum dare, non pupillus, sed tutor ejus nomine Feudum  
accipere debet, ut & observatur in furioso, pro quo Curator Feudum ac-  
cipere tenetur. Posteriori casu, sive proximi sint infantia, sive pubertati,  
siue pubertate majores benè Feuda accipere possunt, tam cum, quàm sine  
tutorum autoritate, quia in Jure Feudali non inveniuntur prohibiti.  
2. Quia intelligunt quodammodò quid agatur, 3. Quia si pupilli quid ac-  
quirunt, & faciunt conditionem suam meliorem, possunt talem actum  
peragere sine tutoris autoritate, pr. Inst. de autorit. tutor. at verò hæc in  
re Feudum scilicet accipiendo faciunt conditionem meliorem. E. etiam  
Feudum accipere possunt. Quamvis autem communiter hæc sententia  
sit recepta. Vult. lib. 1. Feud. c. 4. n. 6. tamen contraria sanior videtur,  
cum pupillus accipiendo Feudum obliget se se ad officia militaria, Jam  
pupillus omninò sine tutoris autoritate se obligare non potest, pr. Inst.  
de autorit. tutor. Est igitur pupilli Feuda accipere possint, non tamen  
obligantur aut ad Juramentum, aut ad servitia ante pubertatem. 2. F. 26.  
vers. si minori & §. sequenti, (quod posterius de servitiis de consuetudine  
Feudorum non scriptâ non servatur, cum impuberes cogantur hodiè  
per substitutum servire. vid. notas ad textum. 2. F. 26.) nec alius pro iis,  
videlicet tutor invitus fidelitatem facere cogitur, d. §. 5. 2. F. 26. licet vo-

lentes admittantur, hinc Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 31. dicit, Necesse est, ut Procurator, siue sit privatus, siue Syndicus, qui alterius nomine Juramentum fidelitatis præstare vult, ad eum actum habeat mandatum speciale & exhibeat, in tutore verò & curatore secus est, qui etiam sine mandato speciali pro his, qui ipsorum fidei sunt commisi, Juramentum præstare possunt.

38. In statu considerationem potulim:ùm veniunt servi & filiifam. Servos quod attinet, distinguimus inter præscos servos & nostros. i. e. glebæ adscriptitios, germ. Leibeigene Leute. Priori casu iterùm subdistinguedum est, aut enim voluit quis proprio servo dare Feudam, & rùm valet, etiam si sine libertate Feudum datum sit, quia Dominus tacite ei libertatem dare videtur, an verò servo alieno, quo casu iterùm subdistinguidum, aut enim constat, cujus contemplatione Feudum sit datum, vel contemplatione ipsius servi, vel Domini, priori casu si Dominus servo concesserit Feudum accipere, Feudi datio valet, & eo ipso Dominus libertatem ipsi dedisse censetur, quia servi præsci non fuere apti ad servitia militaria, l. 11. de re milit. posteriori casu Domino Feudum acquiritur; sin non constet, cujus contemplatione sit datum, pro Domino præsumendum est. Servi nostri bene Feuda accipere possunt. Vult. lib. 1. Feud. c. 4. n. 7.

39. Quin filiifam. Feuda accipiant nullam habet dubitationem, Goed. disp. 4. th. 7. Sed an usufructus rei feudalis filiifam. concessa patri acquiratur non ineptè quæsieris? Et respondemus, quòd non, quamvis enim ejus rei in Jure Feudali expressè non fiat mentio, per consequentiam tamen ejus decisio ex illo potest deduci. 1. Quia Feuda in hunc finem dantur, ut præstentur officia militaria, Jam quod filio datur ratione militiæ, de J. C. in totum ei acquiritur, nec patri usufructus acquiritur. argum. l. 1. C. de castrensi pecul. E. & de Jure Feudali idem debet obtinere. 2. Quia non est conventum inter Dominum & Vasallum, ut pater accipiat usumfructum, sed filius, quia Feuda ita dantur, ut proprietas maneat apud Dominum, usufructus verò ad accipientem transeat. E. tacita conventio hoc facit. 3. Cujus sunt incommoda, illius debent etiam esse commoda l. 10. de R. J. Jam pater officia militaria non præstat. E. nec usufructus debet ad patrem pervenire. 4. Servitutis non est alia servitus. l. 1. de Usufr. legato, sic quoq; hic dicendum, nam licet Feudum non sit usufructus, est tamen quædam ejus species, Jam si patri acquireretur usufructus, sequeretur servitutem servitutis esse.

40. Dicitur insuper est, non distingui in ordine & qualitate accipientis.

75  
piensis. Quare non requiritur, ut directus Dominus præcessat Vasallo, cum nobilis possit Feudum accipere ab ignobili, quod si fiat, dicit Vulteius, illius auctoritati non detrahatur quicquam, nec absurdum est, unam eandemq; personam respectu diversarum qualitatum diversimodè censerì lib. 1. Feud. c. 4. n. 9.

41. Proximum est agere de tempore accipiendi vel petendi Investituram. Tempus accipiendi vel petendi Investituram secundum Consuetudines feudales scriptas & Juri Justiniano annexas, (hodiè siquidem in Feudis tempus renovationis petendæ non accuratè observatur, modò non appareat, Vasallum in odium Domini Investituram neglexisse) in Feudis antiquis est annus & dies, quandoquidem Vasallus renovationem Investituræ intrà annum & diem petat necesse est 2. F. 24. in pr. 2. F. 40. 2. F. 52. in f. 2. F. 55. vers. præterea si quis; Nec distinguendum est inter Vasallum militem, & qui non est miles, quia militem & Vasallum esse sunt hic synonyma & omnis Vasallus promiscuè dicitur miles, quamvis actu ipso non militet. 1. F. 21. 2. F. 26. Sed rectius est, ut ad textum 1. F. 22. distinguamus inter jus scriptum & æquitatem, priori casu intrà annum & diem Vasallas petere Investituram debet, posteriori casu intrà annum & mensem institui potest. Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 61. In Feudis novis tempus petendæ Investituræ præstitutum non est, sed expectandum Vasallo est, donec à Domino citetur, & quidem tribus vicibus, 2. F. 24. §. 1. Ut tamen Dominus eum Feudo privare possit, sufficit, si vel ad primam citationem dicat, se nolle comparere. Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 21. Ratio differentiæ est, quare in petenda Investiturà non idem obtineat in Feudo novo, quia in Feudo novo ante Investituram nihil juris Vasallus habet. E. bene potest expectare, donec citetur, in Feudo verò antiquo Vasallus habet jam aliquod Jus. Wesenb. de Feudis t. 8. n. 4. quamvis possessionem transire quoq; in Feudalibus in successores negandum sit, cum de hoc in Jure Feudali nihil inveniatur dispositum. E. standum erit Juri Communi, quo nulla possessio sine animo & corpore acquiritur. h. 25. de acquirend. & amitt. possess.

42. Ad petitionem præterea Investituræ utriusq; Feudi requiritur. 1. Ut Vasallus compareat. 2. F. 24. §. 1. 2. Vasallus ad citationem coram Domino comparens debet petitionem humiliter atq; devotè instituerè. Zas. in epit. feud. part. 7. n. 13. i. e. cum maximà reverentià ergà Dominum, non tamen propterea necesse est, ut faciat hoc ingenua posttratus, nisi fortasse Investitura fiat ab Imperatore vel Rege. 3. requiritur, ut Va-

fallus illud faciat congruo loco & tempore. *Zaf. in epit. feud. part. 7. n. 5.* quò pertinet ut petitio Investituræ instituat in Curia ipsius Principis, in quâ habitat, vel etiam in Cancellariis Principum, item ne noctis, prandij, vel baloei tempore petat. *Zaf. d. l.*

43. Notatu interim dignum est, tempus renovationi Feudi præstitutum utile esse ratione initii, quandoquidem non currit prius quàm constitit de morte Domini, non ratione decursus, quando enim semel constitit, utile illud tempus est perpetuum. *Wesemb. de Feud. c. 8. n. 6.* nec currit, nisi incuria vel negligentia in petendo Vasallo objici possit. *1. F. 22.* hinc *Wesemb. d. l. Excusari Vasallum non modò ob ignorantiam, sed etiam ob justum impedimentum, puta si aut morbo impeditus, aut periculo deterritus Dominum commodè acedere non potuerit;* Sicut nec currit, quando pupilli aut sunt infantes, aut infantia proximi, & intrâ tempus legitimum renovationem non petierunt *1. F. 22. §. 10. Inst. de Inutil. stipulat.* nec interest, siye habeant tutores, siye non. *Vult. lib. 1. F. 7. n. 64.* si pubertati proximi, possunt quidem privari Feudis, sed habent beneficium in integrum restitutionis. Idem observatur in minoribus, si tempus petendæ renovationis Feudi neglexerint, qui & ipsi beneficium in integrum restitutionis habent *Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 66.* nam & minor usucapione res suas amittit, & minor nihilominus adversus illam usucapionem restituitur. *tit. C. si advers. usucap.*

44. Quemadmodum hactenus requisivimus justam aliquam causam, quæ possit excusare Vasallum, quominus cadat Feudo, si intrâ tempus renovationi præstitutum renovationem non petierit, ita tempus Vasallo non currit, antequam vel hereditatem adierit, si Feudum fuerit hereditarium, vel pro Vasallo se gesserit, si fuerit pactionatum, nisi dolo fecerit, quominus petere Investituram cogatur. *Vult. lib. 2. Feud. c. 7. n. 79.* 2. Si alius in possessione rei feudalis fuerit, nisi Vasallus in apprehendendâ possessione negligens fuerit. *Vult. d. c. n. 81.* 3. Si plures contendant de directo Dominio Feudi. *Goed. disp. 3. th. 32.* Aliæ causæ, ob quas Vasallus Feudo privari non possit, si intrâ legitimum tempus renovationem non petierit enarrantur. *1. Feud. 22. in pr.*

45. Incido hic in duas quæstiones, quarum prior est, si sint plures heredes unius Feudi, an omnes teneantur Investituram petere, posterior, si plures sint Domini unius Feudi, an ab omnibus Investitura petenda. Ad priorem respondemus, Omnes illos debere Investituram petere & fidelitatem præstare, siye pro diviso, siye indiviso Feudum possideant.

2. F. 26.

45

2. F. 26. vers. omnes 2. F. 55. §. 1. licet unum eligere possint, qui nomine omnium investituram petat & fidelitatem praestet. *Vvesenb. de Feudis c. 8. n. 9.* quod frequentatur quoq; in familiis nobilibus, in quibus primogenitus teneri proficisci ad Dominum, & Convasallorum nomine renovationem petere, germ: vocatur *Der Lehenträger. Zas. part. 7. n. 11.* Ad secundam quaestionem distinguimus, Aut omnes Domini Feudum possident, aut unus Feudum per divisionem accepit, posteriori casu uni illi Juramentum fidelitatis est praestandum. *argum. 2. F. 26. vers. omnes filij &c.* priori casu pleriq; volunt Vasallum teneri praestare Juramentum fidelitatis uni tantum, sed nomine omnium. *Goed. disp. 3. th. 36. Zas. d. 1. quo in casu electio conceditur ipsis Dominis, ut unum ex se eligant, cui Juramentum sit praestandum, si Domini inter se convenire nequeant, ipsi Vasallo electio relinquitur, dignior tamen ab ipso est eligendus. Zas. d. 1. Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 95.* Quamvis autem nomine omnium uni ex pluribus Dominis fidelitatis sit praestanda, universis tamen praestare servitia non tenetur. *2. F. 55. praeterea Ducatus. sed ipsi successores inter se comparare debent, cui uni ex pluribus servitium praestetur, aut per vices illud eligere. Quod si de eo convenire nequeant, tamdiu nulli Vasallus servire tenetur, quoad ea res inter Dominos fuerit composita. Vvesenb. de Feudis c. 10. n. 12.*

46. Ceterum cum tempus renovationi Investiturae praefixum inducitur sit in favorem Vasallorum, An tempus renovationi petendae praestitutum mutari possit, ita ut Dominus illud vel coarctet vel dilate, si quaeratur? Respondemus ad priorem casum distinguendo, Aut illa coarctatio à Domino volente Vasallo est facta, an nolente, posteriori casu non potest fieri, ratio, quia quod alicui ex speciali legis concessione indultum est, id ipsi auferendum non est, priori casu bene locum habet coarctatio. In posteriori casu eadem distinctio est adhibenda, ita ut si utriusq; accedat consensus, bene possit prorogatio fieri. *Vult. lib. 2. Feud. c. 7. n. 63.* Sicut autem Vasallus privatur Feudo, si intra legitimum tempus Investituram non petiverit, sic quoq; Dominus proprietate, si Vasallus intra illud tempus Investituram petiverit, & Dominus eum investire noluerit, nam licet hoc non ex ipsis verbis Juris Feudalis constet, per consequentiam tamen ex iis bene deduci potest. *2. F. 6. §. ult. ubi dicitur, Dominum & Vasallum judicari ad paria, germ: Getrewer Herr/ getrewer Knecht.*

47. Diximus, Investituram facere Dominum, qui se. erit immediate proximus. *Vvesenb. de Feudis c. 8. n. 12.* Proinde si duo fratres Feuda prodiviso possideant, & unus alteri fratri Feudum concedat, debet frater fratrem pro illa parte investire,

48. Ma-

48. Materia sive objectum Investituræ tam abusivæ, quàm propriæ est res in Feudum data & accepta, Instrumentum verò super Investiturâ confectum nullo modo potest dici materia, nam illæ literæ sunt tantum testimonium, sicut nec in Investiturâ impropriâ signum dicitur materia, sed tantum testimonium.

49. Et quidem res, quæ in Feudum dari possunt. 1. Sunt res soli. 2. Res solo coherentes, sive singulæ sint, ut horreum, domus, sive universæ, ut Ducatus, Marchionatus. 3. Quæ inter immobilia connumerantur, qualia sunt jura, 2. F. 1. §. *sciendum*. Rebus immobilibus in Feudum concessis intelliguntur etiam jura coherentia concessa. l. 47. & l. 78. de *contrab. empt.* qualia inter alia sunt servitutes, quæ debentur rei concessæ. Quod attinet Jurisdictionem, de Castro, quod in Feudum dari ut possit probat l. F. 4. §. 4. quæritur, Anne ejusmodi castro in Feudum concessio, Jurisdictio illius castri simul concessa intelligatur. Et quamvis secundum Justinianeam Jurisdictio non castro, pago, terræ, sed personæ cohareat. *argum. l. 1. de Officio ejus, cui mand. est Jurisd.* secus tamen est, quando de hodiernâ consuetudine quæstionem formamus, secundum quam omnimodò Castro in Feudum dato Jurisdictio quoque illius castri concessa intelligitur, hoc tamen casu non potest dici merum Imperium esse concessum, sed tantum mixtum, quod & obtinet, cum castrum cum Jurisdictione conceditur, nam & tunc mixti tantum Imperii concessio intelligitur facta. l. 1. §. 1. ult. §. 1. de *Offic. ejus, cui mand. est Jurisd.* nisi concessio fiat sub omnimodâ Jurisdictione; An castro in Feudum concessio munitiones concessæ intelligantur, de eo nullum est dubium. *Vult. lib. 1. Feud. c. 5. n. 5.*

50. De Actionibus, an in Feudum dari possint, examinanda venit quæstio. Ad hanc Dd; communiter distinguunt & dicunt inspiciendum esse objectum, ad quod dantur illæ actiones, quod si sint res mobiles, ad quas dantur, accenseri rebus mobilibus, nec in Feudum dari posse, si immobiles, accenseri immobilibus, & in Feudum dari posse. *Vult. lib. 1. F. c. 5. n. 8.* Veruntamen mittendo communem illam sententiam communiter receptam, verius videtur, nullas omninò actiones in Feudum dari posse. 1. Quia nospiciam in toto Jure Feudali habetur, actiones in Feudum dari posse, seu, quòd Feudum in actionibus consistere possit. 2. Ex Feudo debet beneficium ad longum tempus durans ad Vasallum pervenire, Jam ex actione talis utilitas non pervenit, aut enim considero actionem, prout.

75  
prout nondum est in Judicium deducta, an verò sic, priori casu nulla utilitas ad Vasallum pervenit, posteriori casu si in Judicium deducta, & Vasallus per actionem aliquid fuerit consecutus, tùm solvitur obligatio, nec amplius manet actio. De pecuniâ numeratâ idem judicium habendum, quòd, ut quævis res mobilis, ità nec pecunia numerata in Feudum dari possit. 2. F. 1. 2. Quia Feudum est tale beneficium, quo proprietas manet apud Dominum, ususfructus ad Vasallum transit, Jam pecuniâ numeratâ transfertur & proprietas & ususfructus ad accipientem, quia usus ejus consistit in abusu, qui soli Domino concessus est, *Wesembec. in parat. n. 6. de action. empti.*

51. Neq; res propriæ Domini solùm in Feudum dantur, sed & alienæ. 2. F. 8. Quod dupliciter intelligi potest, vel res Vasalli in Feudum dari potest, i. e. Vasallus potest rem suam propriam offerre Domino directo, atq; in Feudum recognoscere, germ. Er kan sein eigen Gut dem Herrn auffragen vnd zu Lehen machen. Ut tamen Vasallus rem propriam in Feudum recognoscat. 1. debet sciens rem suam tanquam ab alio possessam possidere, sicut & Dominus debet scire, rem tanquam sibi propriam ab alio possideri. 2. Ut ille non recognoscat simpliciter, sed faciat hoc animo alienandi & subjiciendi se Domino Feudi. 3. requiritur, ut alienatio hæc fiat in Instrumento non per verba confessionalia, sed verbis dispositionis, germ. Daß er seines Gutes Lehen ihm wolle vffgetragen haben vnd als ein Lehen von Ihm erkennen. 4. Ut oblatio hæc fiat judicialiter. *Vult. lib. 1. Feud. c. 5. in f. ferè. Bald. ad Spec. de Feud. in f.* Vel secundò res prorsus alienæ, ut & res quæ propriæ, i. e. Feudum jam constitutum, in hoc, ut realienâ in Feudum datâ teneatur Dominus ad Evictionem. Ubi distinguendum, Aut res aliena in Feudum data est Vasallo ignorantia, an verò scienti, priori casu si Vasallus ignoraverit rem alienam esse, Dominus tenetur ad Evictionem, i. e. debet vel præstare æstimationem, vel etiam rem priori æquivalentem in Feudum dare. 2. F. 25. posteriori casu, si nempe Vasallus sciverit rem alienam esse, & quidem illam rem purè acceperit sine spe successionis, superstitè adhuc alio Vasallo, datio prorsus non valet, & per consequens neq; Dominus de Evictione tenetur. 1. F. 27. §. 1. 1. F. 22. 2. F. 8. quòd si Vasallus passus fuerit, rem alienam sibi in Feudum dari, quam putabat, vel quod Feudum putabat Domino apertum esse, hoc casu non simpliciter à Domino præstanda est Evictio, sed si expressè cautionem de Evictione præstiterit. *argumento §. 11. Inst. de Usucap.*

D

52. Quod

52. Quod ad formam Investituræ attinet, non tantum investituræ  
impropria, sed etiam propria præcedere Juramentum fidelitatis debet,  
2.F.4. nisi abusiva Investitura propria præcesserit, tum enim præcedere  
Investitura propria Juramentum fidelitatis non debet. *argum.* 2.F.3. *in f.*  
Et fiat coram Paribus Curia, 2.F.33. 2.F.2. aliter vocantur Pares Curtis,  
Pares de domo, vel domus, item simpliciter vocantur Pares. *d.* 2.F.33.  
2.F.2. 2.F.16. Sunt autem Pares Curia pares Convasalli, qui ab eodem  
Domino in eodem territorio Feuda possident *Myns. cent. 4. observ. 89. in f.*  
& dicuntur sic, quod sint pares inter se, non quod sint pares ipsi Domino,  
*Vult. lib. 1. Feud. c. 7. n. 25.* Et quidem quod Pares Curia adesse debeant,  
obtinere in Feudo novo. 2.F.32. Sed quid, si citati nolint venire? Domi-  
nus multa imposita debet eos ad hoc compellere, si omnino nolint ve-  
nire, Dominus extraneos testes adhibere potest 2.F.26. *Vult. lib. 1. Feud.*  
*c. 7. n. 26. 27.* nec interest, siue Dominus sit Laicus, siue Ecclesiasticus, re-  
quiruntur enim semper Pares Curia. 2.F.32. Feudum verò antiquum per  
alios testes, quam Pares Curia probari potest, *d.* 2.F.32.

53. Sed hæc assertio de testibus in plerisque Germaniæ locis sublata  
esse videtur, siquidem ut *Vultei* verbis utar, *perinde est utrum testes adhi-*  
*beantur, nec ne, atq; si adhibeantur, perinde est utrum sint pares, an extranei.*  
Testium autem ex *Jure Feudali* adhibendorum loco usu receptum est, ut fiat  
*Instrumentum de actu Investituræ.* Ex hodierno itaq; usu scriptura potius, quam  
testes, de solennitate actus Investituræ esse videtur. Et verò necesse hodie non  
est, scripturam illam, quæ fit de Investiturâ, ab ullo teste subscribi & confirma-  
ri, sed sufficit, scriptum à Domino Feudi subscribi & sigillari, quam ad rem  
Principes & majores Domini peculiaribus plerumq; sigillis ad id factis: uti so-  
lent, aut certè sigillis majoribus, quibus ea, quæ ponderis sunt aliquando ma-  
joris sigillare consueverunt. *l. 1. Feud. c. 7. n. 42. in f.*

54. Hic non inconcinne quaeritur, Si duo sint investiti abusivè, uter  
alteri præferendus sit? Respondemus distinguendo, Aut unus ex illis  
abusivè investitis nactus est possessionem, an neuter possidet, priori casu  
qui nactus est possessionem erit præferendus, posteriori casu erit præfe-  
rendus is, qui primus Investituram impetravit. *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 11.*  
Non tamen is, qui secundo loco investitus est omnino caret Feudo, sed  
Dominus tenetur eidem ad interesse, ita ut vel cogatur aliud Feudum æ-  
quivalens Vasallo dare, vel tantum pretii, quo tale possit emere, 2.F.8. *in*  
*pr.* Limitatur, si secundus Investitus sciverit alium super eodem Feudo  
Investituram impetrâsse, quo casu non tenetur Dominus ad interesse,  
*d.* 2.

d.2.F.8. 2. limitatur, si fecerit ipsi Investituram, adjectâ clausulâ, juribus alienis semper salvis. *Zaf. in Epit. feud part. 6. n. 25.* Sic si posterior de certo, prior de incerto Feudo, quod Domino apertum foret, investitus sit, posterior est præferendus, *Vult. d. l. sin alteruter ex duobus istis investitis possessionem nactus sit, et si hic sit posterior, præfertur. argumento l. 2. C. de pignor. & hypoth.*

55. Post Investituram igitur statim fidelitas sequi debet. Fidelitas non uno eodemq; modo semper sumitur. 1. significat formam Feudi specificam in auxilio & consilio potissimum consistentem. 2.F.7. 2. Juramentum fidelitatis. 2.F.4. In priori significatione est promissio fidei à Vasallo ratione Feudi Domino præstita, *Vvesenb. de Feud. c. 8. n. 20.* Et illa promissio est vel jurata, vel non jurata, priori casu est ex naturâ Feudi. 2.F.4. posteriori ex pacto. 2.F.3. in f. Et quamvis posteriori casu non teneatur ad Juramentum fidelitatis præstandum, tenetur tamen ad fidelitatem præstandam, sic *Goed. disp. 1. th. 15. Fidei præstatio non tam in Juramenti solennitate vel servitiis, quæ remitti possunt, quam in observatione & defensione Domini, ejusq; honore & obsequio consistit: Sic Feudum Francum à servitiis quidem omnibus liberum est, non tamen à fidelitate, idem Goed. disp. 2. th. 9.*

56. Ex prædictâ formâ Feudi specificâ colligere licet, Emphyteusis & Feudum non convenire in omnibus, Differunt in eo, quod Vasallus ob Feudum teneatur ad consilium & auxilium Domino præstandum, vel quod idem est, ad servitia militaria. 2.F.7. Emphyteuta ob Emphyteusis, i. e. rem in Emphyteusis constitutam l. 2. in pr. C. de Jure Emphyteut. Canonem quotannis solvit. §. 3. *Inst. locati. 2.* Vasallus tenetur præstare Juramentum. 2.F.4. Emphyteuta verò non *Vves. de Feudis c. 8. n. 23.* 3. In Feudo testamento locus non est. 1.F.8. In Emphyteusi sic, *Vves. de Feud. c. 14. n. 5.* 4. Emphyteuta non soluto Canone in secularibus triennio, l. 2. C. de Jure Emphyt. in Ecclesiasticis biennio jure suo cadit, c. potuit. X. locati. Vasallus non, cum non præstet Canonem, eadem th. 5. Emphyteuta consensu Domini in quemcunq; potest alienare Emphyteusis l. f. C. de Jure Emphyt. Vasallus etiam volente Domino in quemcunq; non potest alienare Feudum. *argum. 2. F. 6. §. ult. 1. F. 13.* Conveniunt in eo, quod utrumq; consistat in re immobili, vel æquipollenti. 2.F.1. §. sciendum. §. 3. *Inst. de locat. & conduct. 2.* Quod utrobq; Dominus concedens retineat Dominium directum, utile in accipientem transferat. *Vvesenb. de Feudis c. 14. n. 3.* 3. Quod neq; Vasallus, neq; Emphyteuta

teuta rem alienare possint. 1. F. 13. l. f. C. de Jure Emphyt. 4. Sicut Emphyteuta jus suum potest cedere Domino. l. f. C. de Jure Emphyt. ita Vasallus potest Feudum refutare. 2. F. 49. Hinc, cum multæ sint dissimilitudines inter Feudum & Emphyteusim, argumentum à Feudo ad Emphyteusim, aliquando potest fallere. Sic libellarius contractus cum Feudo aliquam affinitatem habet, ut apparet ex definitione. Est enim ejusmodi contractus, quo scripturâ interveniente pro certâ mercede res immobiles, arg. 2. F. 9. §. 1. utendæ, fruendæ datæ ab eo, qui utile Dominium earum habet, hæc conditione, ut certo tempore contractus renovetur, numeratâ iterum pecuniâ. Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 49. De contractu censuali videatur Vult. lib. 1. Feud. c. 12. n. 8. qui bona censitica, germ. Zinsgüter appellat, quæ ita alicui conceduntur, ut plenum Dominium tam utile, quam directum in accipientem transferatur, modicâ tamen pensione, quam dare tenetur in memoriam Domini translati.

57. Ut ad fidelitatem recurramus, versatur circa hæc sex: videlicet, Incolumè, Tutum, Honestum, Utile, Facile, Possibile. 2. F. 6. Et ibi additur, utile, unde literis Investituræ hæc forma inseri solet, *Er sol des LehnHerrn Nutz vnd Frommen besordern vnd dessen Schaden verhüten.* Klamm. de Feud. tit. 2. §. 1. & 3. Cum quo concordat Vult. l. 1. F. c. 7. n. 40. ubi formam Juramenti, quæ solet inseri Instrumento super investiturâ fieri consueto, proponit.

58. Ad formam deniq; Investituræ pertinent pacta, & sunt vel licita, vel illicita. Illicita sunt vel circa substantialia Investituræ, vel circa accidentalialia, priori casu vitiant Investituram, quale pactum est, si sub hæc conditione Feudum concedatur, ne Vasallus esset fidelis, aut in re mobili fiat, & talis concessio Feudi nulla est, posteriori vero non, quale pactum est, ne Feudum amittatur ob ingratitude, & quidem talia pacta vitiantur, non verò vitiant Investituram.

59. Atqui hæc sint dicta de constitutione & acquisitione Feudi, quæ fit Investiturâ, hisq; quæ circa eam occurrunt, sequitur jam de acquisitione, quæ fit per successionem. 2. F. 11. l. F. 8. in f. ferè, interveniente tamen renovatione. Vult. lib. 1. F. c. 9. n. 23. quamvis Feudum possideant, ut videlicet à Domino per Investituram ea possessio comprobetur. Vult. de Feud. c. 6. n. 5.

60. Successione Feudum acquirunt omnes, qui Feudi sunt capaces, nec reperiuntur prohibiti, quo minus succedant. Reperiuntur autem prohibiti. I. Ascendentes, qui in Feudo non succedunt descendentibus

2. F. 50.

2. F. 50. ratio ejus est, quia qui acquirit Feudum, intelligitur velle prospicere sibi & suis posteris, non parenti suo, quod est intelligendum de ascendentibus in lineâ rectâ, nam qui in collateralibus ascendentes sunt, ut patruus magnus, possunt succedere. 1. F. 19. & 2. F. 50. Quod verò ascendentes in Feudo non succedant descendentibus, patitur limitationem. 1. Si Feudum alicui sub hâc conditione expressè sit concessum, ut mortuo Vasallo ascendentes succedant. 2. F. 84. 2. Si pater in gratiam liberorum Feudum illis concesserit, illiq; absq; heredibus masculis moriuntur. *Vvesenb. de Feud. c. 6. n. 8. 3.* Si Feudum filio sit concessum respectu patris bene de Domino meriti, *argumento l. 6. de collat. bonor.* 4. Limitatur in Feudo merè hereditario, quia hoc censetur inter res merè allodiales *Gaill. 2. observat. 154. n. 9. 5.* Cùm consuetudine aliud obtinet. 2. F. 1.

61. II. Ad successionem feudalem aspirare non possunt Clerici. 2. F. 21. 2. F. 36. & hoc in tantum verum est ut neis admittatur, qui Clericatum deposuit. 2. F. 30. nisi hoc factum sit re adhuc integrâ, & antequam de successione quæstio mota. *Goed. disp. 7. th. 13.* quamvis Feudum novum omnes Clerici bene possint accipere. 2. F. 40. §. f. nec tantum ab aliis personis Ecclesiasticis possunt Feuda accipere, sed etiam à Laicis d. 2. F. 40.

62. III. Prohibitæ reperiuntur fœminæ, 1. F. 1. §. 3. 1. F. 8. §. 2. & quidem in tantum fœminæ arcentur à Feudis, ut ne quidem filij ex filiabus nati possint & debeant succedere. 2. F. 11. ratio, quia successio non defertur per saltum, sed per gradum. §. 7. *Inst. de legit. agnat. success.* 2. Quia infectâ radice omne censetur infectum, quod à radice originem trahit. *Vult. l. 1. Feud. c. 9. n. 27.* Limitatur & admittuntur fœminæ ad successionem, si hoc fuerit expressim dictum. 2. F. 8. *inf.* Nec filiabus legitima ex Feudo debetur. 1. Quia non est ex bonis patris 2. Illis legitima debetur, qui ab intestato succedunt, at fœminæ non succedunt, idq; obtinet non tantum in Feudo pactionato, sed etiam hereditario *Vult. lib. 1. Feud. c. 9. n. 58.* Idem judicium est habendum de quæstione, quâ quæritur, an Feudum in dotem dari possit. 2. F. 9. §. 1. quia dotis datio est quædam alienatio, nam dos efficitur proprium filia: patrimonium, & filia dotis Domina est facta. E. etiam dotis numeratione ejus Domini translatio facta censetur. *Myns. cent. 4. observ. 86.* Jam omnis alienatio Feudi est prohibita. 2. F. 55. Hodie tamen ex consuetudine in multis locis deficientibus bonis allodialibus constituitur dos ex Feudalibus *Hart. Pist. part. 3. quest. 37. in pr.* Excipitur ab eo, quod sc. Feudum non possit in dotem dari, quando fœ-

mina est Vasalla. 2.F. 13. & 17. ratio est, quia nulla hic est perfecta alienatio, nam quando mulier Feudum in dotem dat, non alienat illud irrevocabiliter, verum non procedit, si aestimata dotem vel Feudum velit marito dare, quia aestimatio habetur pro emptione, ut colligere licet ex *tit. ff. de aestimat. act.* Jam emptio Feudi est prohibita. 2.F. 55. 2. Si mulier cum marito pactum fecerit delucrandâ dote.

63. IV. Conjugum nulla agnoscitur in Feudis successio, 1.F. 15. quamvis dotalitium de Jure Saxonico in bonis Feudalibus constitui possit. Est autem dotalium de Jure Saxonico donatio, quam facit maritus nobili uxori in compensationem dotis, ut eâ usq; ad vitam fruatur. Sed ut maritus ex Feudo mulieri possit constituere dotalitium, requiritur. 1. Dotem verè à muliere esse numeratam. *Auth. dos data. C. de donat. ante nupt.* nam aliàs non potest petere dotalitium; distinguitur tamen, aut enim dotalitium maritus constituit respectu dotis inferendæ, an verò non, priori casu heredes mariti non tenentur ad servandum dotalitium, posteriori casu Dd. volunt, heredes teneri ad servandum dotalitium promissum, si modò successores feudales simul sint successores allodiales, secus si sint feudales tantum, nisi mulier post mortem dotem offerat cum usuris, quippe tùm potest potere, ut dotalitium constituatur. 2. requiritur præter dotem numeratam, ut in Feudum & Feudi utilitatem sit conversa, & si sit dubium, an in Feudum à marito sit conversa, semper pro muliere præsumitur. 3. requirunt Dd. Juris Saxonici, ut ad constituendum dotalitium adhibeatur consensus tam Domini Feudi, quàm agnatorum, quorum tamen consensus si non fuerit adhibitus, mulier non omninò caret dotalitio, sed quod ultrà legitimum modum excedit, in tantum vitiat, non omninò. Legitimus autem modus dotalitii constituendi hic est, ut ex Feudo, vel certâ parte Feudi dentur mulieri usuræ annuæ dotis duplicatæ, vel etiam redditus, item usuræ donationis propter nuptias duplicatæ sunt mulieri, e. gr. Contulit mulier in dotem 1000. quaritur, quodnam dotalitium constituendum sit, & respondetur 200. thalerorum. Amittitur dotalitium. 1. Morte uxoris. 2. Adulterio; sed si repetit dotem, non potest petere dotalitium, quæ omnia persequitur *Hart. Dist. part. 1. quest. 4.* & ex parte *Vvesenb. in paratit. de Jure dot. n. 11.*

64. V. A successione Feudali repelluntur Imperfecti 2.F. 36. & tales sunt vel animo, vel corpore. Aimo, ut furiosus, mente captus, Corpore, ut muti, surdi, cæci, claudi, de quibus omnibus simpliciter asserendum, hos sive naturâ, sive casu tales sint, non posse succedere, 1.F. 6. §. 2. sed

45

sed datur tantum illi, quantum ad degendam vitam satis est, si aliunde non habeant *Vvesenb. de Feud. c. 6. n. 18.* qui tamen textus intelligendus est de eo, qui ex accidenti mutus factus est, antequam successio aperta, nam si integer successit, & casu fiat mutus, non erit Feudo privandus, *Vult. de Feud. lib. 1. c. 9. n. 64. in f.* Secus est in prodigo, qui succedere potest, & Curatori administratio & danda.

65. VI. Feudum non derivatur ad legitimatos secundum Consuetudines feudales. *2. F. 26. §. naturales*, qui textus cum generaliter loquatur, generaliter erit accipiendus, nec tantum de legitimatis per rescriptum Principis, sed etiam de legitimatis per subsequens matrimonium intelligendus, quamvis contrarium consuetudine in Imperio sit introductum, ita ut legitimati per subsequens matrimonium in Feudis succedant. *Myns. cent. 5. obser. 42.* etiam si Feudum receptum sit tantum pro legitime natis, germ. *Ob ers schon vor sich / vnd seine Ehelich gebohrne Leibes Lehns Erben empfangen habe Klam. de Succes. Feud. §. 3. Hart. Pist. quest. 41. in f. p. 3.* Nisi consuetudine contraria in uno vel altero Ducatu contrarium sit receptum. De legitimatis per Rescriptum Principis sic sentiendum, Aut qui legitimantur a Principe, a tali Principe legitimantur, qui simul est Dominus Feudi, vel non, priori casu facilius talis legitimatio admittitur, ut legitimati simul succedant in Feudo, si se. iustissima sub sit causa, *Sutholt. dissert. 2. in f. Coroll. & quidem in Feudo antiquo, in novo enim Feudo talis legitimatio bene procedit, posteriori casu nullo modo hoc procedit. Vvesenb. de Feudis c. 6. n. 12.*

66. VII. Adoptivi & arrogati non succedunt in Feudo. *2. F. 26. Zas. epit. feud. part. 8. n. 14.* quia Juri sanguinis successio in Feudis tribuitur. *Vult. lib. 1. Feud. c. 9. n. 90.* & quidem in tantum, ut ne quidem arrogati quartam ex bonis feudalibus possint capere.

67. Et tantum de prohibitis: Subjungimus de non prohibitis. Sed cum ascendentes, ut diximus, non succedant descendentes, duobus tantum ordinibus, nempe descendentes & collateralibus in successione Feudi locus erit. *1. F. 8. 2. F. 11.* De quibus in genere notandum, quod in descendentes & collateralibus in Feudis eadem ratio succedendi, computatione graduum in Feudalibus secundum Jus Civile instituta, qua de Jure Novellarum, quod & Jus representationis *Nov. 118.* introductum in Feudis sit receptum. *2. F. 11.* si modo observetur, quod quidem de Jure *Novell. 118.* ex utroque latere fratres in allodialibus uterino & consanguineo preferantur, at in Feudis si frater consanguineus & germanus adsint,

ad sunt, tūm hic nō solus succedit, sed & consanguineū admittere tenetur,  
non uterinū, ratio est, quia in Feudo succedunt masculi, qui ex eodē san-  
guine sunt, uterini verō ex eodem sanguine non sunt. *Vult. lib. 1. F. c. 9. n. 108.*  
68. Prædicta de successione descendendum & collateralium adeo  
obtinēt, quod ne pater quidem filium respectu Feudi exheredem facere  
possit, quia in Feudo nulla ordinatio defuncti locum habere potest.  
*1. F. 8. in f. pr.* nisi fortasse propter tale delictum filium pater exheredaverit,  
quod filius in Dominum ipsum commiserit; Quod Vasallus ne Feudum  
quidem testamento ad pias causas relinquere possit. *2. F. 9. §. donare,*  
ubi phrasis habetur, *Judicare pro animā. i. e.* legare Ecclesiastica personæ  
pro liberandā animā. Idem obtinet, etiam si à Principe dispositio de  
Feudo à Vasallo facta sit confirmata, quia neq; de plenitudine suæ potestatis  
Princeps jus quæsitum alicui auferre potest, nisi in casu summæ  
necessitatis *Keip. refuso pretio rei ablata. Sutholt. d. 1.* Sicut nec dispositio  
de Feudo facta à Vasallo testamento valet, etiam si testamentaria dispositio  
consensus Domini adcesserit *Vult. lib. 1. F. c. 9. n. 83.* ratio, quia  
Jus in Feudum aliquando succedendi acquiritur agnatis primā Investiturā.  
In genere deniq; nulla inæqualitas in successione Feudi ex dispositione  
defuncti Vasalli admittitur. *1. F. 8. nisi Feudum hereditarium sit,*  
aut consuetudo permittat. *Goed. disp. 8. th. 7.* quamvis divisio Feudi à  
patre possit fieri inter liberos, aliter verō de bonis feudalibus disponere  
nequit, vel legare aliquid ex iis, ex jam dictis, adeo ut neq; æstimatio rei  
Feudalis debeat, quia Feudum est res ratione extraneorum personarum  
extra commercium posita, quæ nec vendi, nec legari, nec donari potest,  
qualis res si legata fuerit, nec æstimatio ejus debetur. *§. 4. Inst. de legat. §. f. Inst. de Empt.* prætereā æstimatio Feudi succedit in locum  
ipsius rei. *l. 22. de heredit. petit.* Jam legatum Feudi est prohibitum.  
E. etiam ejus æstimatio, non obstante, quod legatum rei alienæ de J. C.  
sit permissum. *§. 6. Inst. de legat.* Nisi expressè constiterit testatoris voluntate,  
quo casu præstanda est legati æstimatio non à Vasallo, sed ab herede. *Vult. lib. 1. Feud. c. 9. n. 82.* & heres defuncti facta præstare & approbare  
debet. *l. 14. C. de R. V.* Feudumq; filius repudiatā hereditate retinere non potest.  
*Goed. disp. 7. th. 6.* quemadmodum hereditatem sibi oblatam, servatā legitima,  
repudiare nequit. *l. 1. & 2. de acquir. heredit. sive Feudum sit hereditarium, sive ex pacto vel providentiā, sed aut utrumq; retinere, aut repudiare debet, aliter atq; agnatus, qui Feudum hereditatē repudiatā hereditate retinere non potest, ex pacto & providentiā*

re.  
rium.  
potest. 6

*Goed. d. 1.*

69. Ve

69. Verùm cum dubium subinde oriatur, in collateralibus ad quem usq; gradum successio fiat, Camera Imperialis in hoc distinguit, Aut Feudum à primo acquirente statim transit ad descendentes, & postea ad collaterales, an verò nunquam ad descendentes, sed statim collaterales, posteriori casu succedunt collaterales ad 7. usq; gradum, priori casu in infinitum succedunt. *Mysf. 2. observ. 95.* quæ sententia juvatur, *1. F. 1. §. 4. 1. F. 8. 2. F. 31. 2. F. 50. 2. F. 52. §. 1. in f.* Alii dicunt, Collaterales in infinitum succedere; Sed contra illos *Dd.* id facit, quod dicitur *1. F. 1. §. 4. in f.* ubi masculi descendentes collateralibus opponuntur, & in iis in infinitum successio conceditur. E. non his. 2. In *2. F. 52. §. 2. in f.* dicitur, si hoc actum erit, i. e. conventum. E. aliàs non. Hodie tamen communiter ex recepta consuetudine in infinitum & in aliis Feudis succeditur. *Zaf. epit. feud. part. 8. n. 5.*

70. Illud ultimò de successione sciendum est, Jure Saxonico collaterales ne quidem in antiquis Feudis succedere, nisi sint simultaneè investiti. *Vvesenb. de Feud. c. 6. n. 18.* Notandum tamen, aliam esse simultaneam Investituram, cujus mentio sit in Consuetudinibus Feudalibus, aliam esse eam, quæ consuetudine Saxonica est introducta. Priori casu in Consuetudinibus Feudalibus duplex simultanea investitura habetur, quarum prima dicitur, quando Dominus de uno Feudo duos simul investit, & ut duo simul possideant. *Vult. lib. 1. Feud. c. 9. n. 104.* Secunda, quando Feudo ab alio possessore in casum aperti Feudi Dominus alium investit, *Klam. de success. feud. §. 23. n. 34.* Posteriori casu de Consuetudine Saxonica Investitura simultanea dicitur, quando plures volentes consensu possessoris Feudi de Feudo investuntur, ita ut alter alteri succedere possit, cum enim, ut dictum, de Consuetudine Saxonica nemo nisi descendentes in Feudo succedere possint, siue sit Feudum antiquum, siue novum, Saxones simultaneam hanc Investituram, quò collaterales succederent, excogitarunt. Ad hanc autem Investituram simultaneam requiritur. 1. Consensus ipsius possessoris. 2. Consensus Vasalli simultaneè investiti. 3. Ut illa simultanea Investitura secundum cujuslibet loci consuetudinem fiat. 4. Ut fiat verbis, quibus constet Dominum plures investire voluisse, e. gr. *Wir belehnen den vnd dem mit dem Gut/ vnd wann dieselben nicht seyn werden/ die vnd die/ &* quidem omnia nomina Investitorum in literis sunt exprimenda, quorum autem nomina in literis non sunt expressa, non possunt succedere. Effectus hujus simultaneæ Investituræ sunt. 1. Reciproca obligatio, & communio quædam succedendi,

E

dendi,

dendi. 2. Hæc simultanea Investitura transmittitur tam activè, quàm passivè ad heredes i. e. non tantùm Dominus & heredes ejus tenentur investire, sed & primum Investitum & heredes ejus. 3. Quemadmodum Vasallus principalis, si Investituræ negligat renovationem, Feudo potest privari, ita quoq; simultaneè investiti benè possunt privari Feudo, etiam si ipsi nondum succedant, & si casus contingat, quòd succedere velint, privat eos Dominus Feudo actione revocatoriâ, aperto enim Feudo omnes renovationem petere debent. *Hart. Pist. part. 3. quest. 20. n. 38. n. 31. n. 22. n. 7.*

71. Progredivimur jam ad finem & effectus Feudi. Effectus Feudi respectum habet vel ad Dominum, vel Vasallum, vel utrumq; Respectu Domini est fidelitas, quæ consistit in tribus *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 22. 23. & 24. 1.* In reverentiâ, quòd pertinet, quòd Vasallus ob crimen Dominium accusare possit, *2. F. 24. vers. Item si delator.* 2. taciturnitate. *1. F. 17. 3. Servitiis militaribus. d. textu in 1. F. 17.* Respectu Vasalli est 1. Utile Dominium. *2. F. 8. vers. Rei autem & in f. & exinde possessio naturalis, & potestas circa Feuda agendi. 2. F. 8. §. 7.* quâ potestate Vasallus consequitur liberam administrandi & fruendi Feudo potestatem. *2. F. 8. §. 1. VVesemb. de Feud. c. 10. n. 4.* hinc vocatur Ususfructus. *2. F. 23.* & omnes industriales & naturales fructus lucratur. *VVesemb. d. 1.* & percepti statim pro allodialibus habentur. *argum. 2. F. 28. vers. his consequenter, argum. 2. F. 26. §. si Vasallus in f. ferè,* ubi dicitur, quòd pecunia ex Feudo redacta sit allodialis, & propterea non pertineat ad successores feudales, nec tantùm fructus, sed etiam præter fructus reliquæ meliorationes ad Vasallum pertinent. *2. F. 28. vers. si Vasallus.* Per meliorationes autem possunt intelligi vel ipsæ meliorationes, quas Vasallus facit, aut incrementa rei feudalis, priori modo, ut si Vasallus ædificia extruxerit, verum est hæc ad Vasallum pertinere, & Vasallo mortuo ejus heredes ea detrahere possunt, posteriori casu verum quidem est omne incrementum ad Vasallum pertinere, illud tamen ejus heredes avocare non possunt. *d. 2. Feud. 28. vers. si Vasallus,* idem statuimus, si ob delictum Vasallus Feudo cadat, quò casu neq; fructus, neq; impensa, quam in id studio meliorandi fecit, ad heredes transmittuntur. *Vult. lib. 1. Feud. c. 11. n. 114.* De fructibus ultimi anni, quo decesserit Vasallus, & Feudum ad Dominum revertitur, habetur *2. F. 28. vers. his consequenter,* secus de Jure Saxonico, quo in Vasalli heredibus idem obtinet, quod in usufructuarii. *VVesemb. de Feud. c. 10. n. 5.* & fructus industriales heredem sequuntur; nam quicquid usufructuarius conficit, id quamvis necdum maturum, neq; perceptum, ad suum heredem transmittit,

mittit. *Vvesenb. in parat. n. 3. quibus mod. usufr. amitt.* Respectu utriusq;  
est mutua fidelitas. 2. F. 22.

71. Circa servitia militaria disceptatur à Feudistis, An in omni bello Dominum Vasallus teneatur juvare, ex quâcunq; etiâ causâ illud susceptum sit, & utrùm sumptibus propriis, an alienis. Ad priorem quæstionem respondemus distinguendo, aut constat causam esse justam, aut constat notoriè esse injustam, aut dubia est causa, priori casu tenetur defendendo & offendendo Dominum sequi, quod etiâ tertio casu, si nempe dubia sit causa, obtinet. Secundo casu distinguitur, aut enim de Domino defendendo agitur, an hostem Domini offendendo, priori casu dicunt Vasallum Dominum juvare debere, posteriori negant. *Vvesenb. de Feud. c. 10. n. 10. Zas. part. 7. n. 39.* Alii simplicius dicunt, in notoriè injustis non teneri Vasallum neq; defendendo, neq; offendendo juvare Dominum, ut si contrâ patriam, vel contrâ religionem veram Dominus aliquid moliat. 2. F. 7. *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 25.* quæ sententia ut probabilior, itâ verior est, ratio est, quia ubi offensio est licita, ibi defensio est illicita, ubi E. injustum Domini bellum est, defensio Vasalli erit illicita; Sicut nec contrâ seipsum. *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 28.* aut parentes suos, vel liberos Domino suppetias ferre cogendus est, *Vvesenb. de Feud. c. 10. n. 11.* nisi fortasse pater contrâ patriam bellum gerat. *argumentol. 35. de religiof. & sumpt. funer.* hoc tamen casu Vasallus Domino Feudum refutare. *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 76.* vel pactum cum Domino injre potest de præstando dimidio redditus annui, quo casu contrâ patrem non tenetur sequi. *Zas. part. 7. n. 42. 2. F. 55. §. firmiter,* ut & antiquior Dominus excipitur. 2. F. 28. *in f.* Antiquior autem Dominus æstimandus est non ex personâ Vasalli, cui priori tempore Vasallus se obstrinxit, sed ex primævâ Feudi naturâ, itâ ut is Dominus sit antiquior, cui prius concessi Feudi gratiâ Juramentum sit præstitum. E. gr. Vasallus Ducis Brunsvicensis factus quis fuit anno 1605. & deinde mortuus est relictis filiis duobus, quorum unus cum ex divisione accepisset Feudum Brunsvicense, juravit fidelitatem Duci Brunsvicensi, alter cum pecuniam numeratam, ab Archiepiscopo Magdeburgensi Feudum acquisivit, & anno 1620. eidem Feudi nomine Juramentum fidelitatis præstitit. Non multò post filius primus mortuus est absq; masculis heredibus, & translatum est Feudum ad fratrem secundum, qui & Juramentum fidelitatis Brunsvicensi juravit. Jam si contingat, Magdeburgensem contrâ Brunsvicensem bellum gerere, Queritur, hic Vasallus quem juvare debeat, Et responderetur

Brunsvicensem, nam quamvis quidem si persona Vasalli inspiciatur, Magdeburgensis sit antiquior, respectu tamen Feudi priori tempore acquisiti Brunsvicensis erit antiquior. Ratio ejus, quod Brnsvicensis sit antiquior, hæc est, quia qui semel à primo Feudum acquirente suscepit, is hæc conditione Feudum concedere intelligitur, ut & successores contra se alium non juvent.

73. Ad posteriorem quæstionem, An se: Vasallus teneatur servire sumptibus propriis, Feudistæ distinguunt & dicunt, interesse, utrum servitia militaria præstanda sint à Vasallo intrâ Domini territorium, vel extrâ, priori casu subdistingendum, aut Vasallus Feudum opulentum habet, an tenue, priori casu tenetur Domino servire sumptibus propriis. *l. 20. ff. de Operis libert.* posteriori casu sive non tenetur servire sumptibus, si extrâ territorium, indistinctè Dominus tenetur sumptus subferre, quamvis contrarium hodiè videatur esse receptum, ità ut Vasallus teneatur servire sumptibus Domini, sive præstanda sint extrâ territorium, sive intrâ, sive Vasallus Feudum tenue habeat, sive non, nisi per pactum contrarium sit receptum, fundamentum hujus est. *2. F. 107. cap. extraord.* ubi vox Antiquare reperitur, quæ, etsi aliàs significat abrogare, hic antiquatum esse introductum esse significat.

74. Deniq; Vasallus non aliter servitia militaria præstare tenetur, nisi ad hæc fuerit vocatus à Domino. *2. F. 55. §. 1.* Limitatur hoc, ubi & non requisitus tenetur. 1. Si sciat magnum periculum Domino imminere. *2. F. 7. 2. F. 28.* 2. Si in Investiturâ servitia certo tempore & diebus sint promissa. *l. 32. C. de contrah. stipulat.* Vocatus autem potest servire vel in personâ propriâ, vel per substitutum. *2. F. 55. §. 1.* quod & nobiles hodiè faciunt. Excepitur. 1. Si alia conventio fuerit facta. 2. Si persona Vasalli non sit idonea ad servitia præstanda, qualis est impubes, fœmina, persona Ecclesiastica, qui citati in propriâ personâ non debent venire. 3. Vasallus tenetur nec in personâ propriâ, nec per substitutum ad servitia militaria præstanda comparere, si ea pecuniâ certâ redemerit, quæ pecuniâ vocatur Hostenditiæ. *2. F. 40.* & quantitas ejus pecuniæ est dimidia pars reddituum Feudi annuorum. *2. F. 55. §. 1.*

75. Ceterùm cum servitia militaria pro quantitate Feudi, sint præstanda. *argum. 2. F. 54. 2. F. 40.* (quamvis si Feudum auctum sit incremento, servitia militaria non statim sint augenda, e. gr. si jugerum agri sit adjectum & Vasallus ante uno egno serviverit, postea duobus non servire cogitur, ne se: alluvio in detrimentum hujus vergat, *l. ult. C. de allu-*

alluvio: ) An etiam alimenta à Vasallo Domino egentia præstanda sint pro quantitate Feudi, quæstionis est *Vvesenb. quidem n. 16. c. 10. de Feud.* dicit: *Communiter placere, Vasallum non teneri alere Dominum egentem, & sumptus ejus nomine facere; verùm contrarium si statueremus, à veritate Juris non aberraremus. argum. 2. F. 28. in verbis, Vel aliter ei mortem imminere. l. 4. de agnos. & alend. liber. in verbis, Necare videtur, qui alimenta denegat.*

76. Diximus in *th. 71.* Omnes fructus fundi feudalis ad Vasallum pertinere, quod pariter obtinet in lapidicinis, metalli fodinis in prædio feudali repertis, quia censentur fructus ipsius prædii, *l. 13. §. 5. de Usufructu,* Jam fructus pertinent ad eum. In thesauro invento distinguimus, utrum tertius aliquis in fundo feudali thesaurum invenerit, an Vasallus, priori casu inter inventorem & Dominum Feudi est dividendus, posteriori casu inter Dominum & Vasallum ex æquo est dividendus, ratio est, quia Vasallus lucratur tantùm fructus ex fundo feudali, Jam thesaurus non habetur pro fructu. *l. 7. §. 12. soluto matrim. 2.* Quia in Jure Feudali nihil peculiare de hoc est statutum. E. Juri communi, quod de thesauro disposit, erit standum. *§. 39. Inst. de R. J.*

77. His ita absolutis, considerandum erit, quomodo Feudum finitur & amittatur. Ut enim in omnibus rebus naturale est, certis eas modis acquiri & nasci, certis etiam modis perire & amitti, uti videre est in patriâ potestate. *tit. Inst. de patr. potest. & tit. quibus mod. patr. potestas solv. in obligationibus. tit. Inst. de Obligat. & tit. quibus mod. toll. oblig.* Idem accidit & in Feudis, quæ ut certis modis acquiruntur, certis etiam modis amittuntur & finiuntur. Quarum causarum eùm variaz sint, præcipuas delibabimus. Prima igitur causa amittendi Feudi est alienatio Feudi à Vasallo facta, ob quam Feudum amittit, *2. F. 55.* Sicut is, qui malâ fidem rem feudalem emit, non tantùm restituere eandem tenetur, sed & pretium amittit, quemadmodum aliàs m. f. emptor pretium recuperare non potest, *l. 27. C. de Eviction. & pertinet illud pretium pro re feudali vendita solutum ad Dominum Feudi, quis hoc est delictum Feudale, propter quod non læditur Resp., sed ipse Dominus Feudi.* Alienatio porrò alia est necessaria, alia voluntaria, posterior dicitur, quæ fit nullâ necessitate cogente, prior verò sic, veluti propter famem, non quæ fit propter æs alienum, quæ ad voluntariam alienationem refertur. *argum. l. 36. §. 1. in f. de Judic.* nam inspiciendus hic est non tam eventus, quàm initium obligationis, Et quidem omnis alienatio Feudi est prohibita, tam necessaria, quàm

quàm voluntaria, ratio est 2.F. 9. in pr. ubi dicitur, quòd Vasallus ante constitutionem Lotharii, urgente necessitate, poterit alienare Feudum, E. sequitur post eam non amplius ei hoc licere, præterea textus 2.F. 52. & 55. generaliter loquitur, nec distinguit inter necessariam & voluntariam alienationem. Uti autem aliàs effectus, non affectus inspicitur. l. 225. de V.S. ità nec alienasse Feudum Vasallus intelligitur, nisi traditio sit secuta, etiamsi aliàs in animo habuerit alienare Feudum. Unde Dd. ad alienationem rei feudalis tria requirunt. 1. Ut vasallus sciat rem esse feudalem, nam si ignorans alienaverit est excusandus, nisi crassa & supinà negligentia Feudum alienaverit. l. 6. ff. de J. & Ignorant. 2. Alienatio effectum debet esse sortita, & traditio facta. 3. requiritur, ut Dominus mentem declaraverit, se velle rem feudalem in commissum incidere, nec tantum vera alienatio pertinet ad privationem Feudi, sed etiam ficta, quæ pertinet ad fictam traditionem. Vult. lib. 1. Feud. c. 11. n. 42. & 45.

78. Sed quoniam per Verbum Alienationis intelligitur omnis actus, non tantum per quem Dominium, sed etiam aliud aliquod Jus in aliquem transfertur. VVesemb. de Feud. c. 11. n. 3. neq; Vasallus Feudum oppignorare potest. Et cum oppignoratio fiat dupliciter, vel per pignus, vel hypothecæ constitutionem, de hypothecà idem asserimus, quis hypothecæ species alienationis est, finis siquidem hypothecæ est, ut possit non solutà pecunià ad distractionem ejus perveniri. Sic Vasallus in re feudali servitutem propriè constituere nequit, nam quamvis imposuerit, ipsi tantum nocet, & Feudo ad Dominum vel agnatos reverso extinguitur. Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 40. Sic Emphyteusis constitutio in re feudali denegatur Vasallo. VVes. de Feud. c. 11. n. 3. cum enim Emphyteuseos constitutio sit Dominii utilis translatio, ideo Vasallus rem feudalem in Emphyteusin dare non potest. Non idem obtinet in locatione longi temporis, quæ locatio ad longum tempus facta non cadit in contractum Emphyteuseos, & nunquam transfert Dominium ad conductorem, utpote cum contractus non ex adjectione temporis, sed suà naturà considerentur, Jam contractus locati natura non est, ut eo transferatur Dominium. E. nec adjectione temporis. VVesemb. in parat. n. 10. locati, Hinc non obstat, quin Vasallus ad longum tempus Feudum locare possit. Sic Ususfructus in re feudali alteri constitui nequit, eo enim ipso totum Jus, quòd Vasallus habet, in alterum transfert. Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 41.

79. Verum enim verò hæc tùm demùm obtinent, si consensus Domini in alienando Feudo non adfuerit. l. F. 13. vers. si verò. Et petitur in  
omni

48

omni alienatione rei feudalis Domino absente consensus expressus literis consignatus, tacitus verò ad alienationem rei feudales sufficit, quando Dominus præsens est, & alienatio fit ipso sciente, quippe qui non prohibet actum in præjudicium suum fieri, cum possit illum evitare, pro consentiente habetur, secus si absit. *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 64.* Et si consensus Domini antecedit, siue alienationem concomitetur, vel eam sequatur, validam eam efficit. *Vult. d. c. n. 65.* Certè Dominus consentiens alienationi vel oppignorationi, obligatus etiam manet Feudo ad se reverso, qui enim consentit actui super re aliquâ inito, censetur juri suo renuntiasse, quod in illâ re habet. 2. Quia semel consensus suum præstitit, cui Dominus non potest contravenire. An Dominus consentiens respectu sortis principalis, etiam ratione ejus, quod interest, suffragatus videatur, disceptari solet. Nos distinguendum censemus inter ea, quæ descendunt ex ipsâ obligationis naturâ, & ea, quæ expresso pacto sunt promissa, priori casu Domini consensus non tantum ad sortem principalem, sed & accessoria, puta usuras, si ad Dominum Feudum reversum sit, cujus consensu Feudum oppignoratam, extenditur, posteriori casu consensus ad ea, quæ speciali pacto promissa sunt, non potest extendi.

80. Quia verò Dominus & Vasallus judicantur ad paria. *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 37.* ut Vasallus utile Dominium non potest transferre, ita nec Dominus directum dominium alii concedere potest, privaturq; ob directi Domini translationem Feudo. 2. *Feud. 26. in f. ferè.* Limitatur n. quibusdam, in quibus directum Dominium transferre potest. 1. Si se. Dominus illud non singulariter, sed per universitatem velit in alium transferre. *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 71. sc. totum Ducatum suum,* 2. Directi domini translatio valet, si illud Dominium alicui subinfeudet iisdem conditionibus, quibus ipse habet, & quidem æquæ dignitatis. *Vult. d. c. n. 81.* 3. Nisi maxima necessitas illud requirat. *Vult. d. c. n. 71.* 4. Consuetudo loci si permittat.

81. Ut igitur alienatio utilis Domini Feudi Vasallo sit interdicta, sicut Domino directi Domini translatio, subinfeudatio tamen eidem est concessa, i. e. Vasallus etiam invito Domino Feudum alii in Feudum concedere potest. 2. *F. 9. 2. F. 3. §. 1. 2. F. 26. §. beneficium. 2. F. 34. §. similiter.* Subinfeudatio, germ. Ein *Affterlehen* est actus, quo Vasallus Feudum suum vel totum, vel partem ejus alii in Feudum legitime concedit. *Vult. lib. 1. Feud. c. 10. n. 79.* Et requiruntur ad subinfeudationem tria. 1. Ut æquali subinfeudetur. *argumento 2. F. 26. §. beneficium. 2. F. 34. §. similiter.*

2. Ut

2. Ut iisdem ll. & pactis, quibus ipse Vasallus Feudum possidet. *d. text. 2. F. 34.* quamvis subinfeudatio pro pecuniâ factâ valeat. *2. F. 3. §. 1. 3.* Ut fiat subinfeudatio sincerè & sine fraude, quò non aliquid fiat, per quod Dominus jus suum admittat. *2. F. 26. §. beneficium.*

81. Hinc quæstio non minùs elegans, quàm necessaria resultât, An descendentes & agnati subinfeudationem factam jure retractûs redimere possint? Et solet illa quæstio dupliciter intelligi, aut enim volunt eam revocare vivo subinfeudante, an verò mortuo, priori casu negandum hoc est, quia filii vivo patre nihil juris in re feudali habent, agnatis itidem hoc Jus retractûs in Jure Feudali non reperitur tributum. *Hart. Piff. part. 2. quæst. 6. n. 61.* posteriori casu negandum est, etiam de descendantibus, quòd sc. patre mortuo filii subfeudum revocare possint. *Vult. lib. 1. Feud. c. 11. n. 88.* cùm liberi censeantur pro unâ eademq; personâ cum ascendentes. Quod attinet agnatos, an Vasallo mortuo subinfeudante Feudum revocare possint, distinguendum est inter Feudum novum & antiquum, priori casu negandum est, quia agnati nullum Jus in Feudo novo habent, *ut ex præced.*, præsumitur enim Vasallus in eo tantùm prospicere velle descendantibus, posteriori casu agnati in Feudo succedentes subinfeudationem revocare possunt, quia quicquid Vasallus in fraudem agnatorum suorum disponit, non valet. Valet tamen ea alienatio, *ut Hart. Pistorii præall. loco verbis utar.* Vasallo defuncto, quamdiu aliquis superest, qui in proximiori gradu existens alienationem factam vel consensu, sive alio quopiam obstante non potest, vel alioqui non vult revocare. Et si enim, ita pergit, Omnibus agnatis ex primâ concessione competat Jus revocandi, quia tamen istud non simul, sed tantùm ordine successivo illis quæsitum est, & tùm demum hoc jus ipsis reverà competere incipit, quando justo successionis ordine ad ipsos Feudum reversum est, idèd jure isto non prius uti possunt, quàm omnibus iis, quibus juxtâ gradus successionis ante ipsos hoc jus competierat, è medio sublatis, ordo successionis ipsos tangat. De Domino idem quæri potest, an possit subinfeudationem factam revocare? Et quidem subinfeudante adhuc vivo hoc facere nequit, subinfeudante mortuo sine liberis in Feudo novo, in antiquo sine agnatis subinfeudatio expirat. *1. F. 4. §. ult. 2. Resoluto jure dantis, resolvitur etiam accipientis, l. 31. in f. de pignor. & hypoth.* Jam resoluto Jure primi Vasalli, morte sc.; resolutum erit Jus sub Vasalli. 3. Quia Vasallus in Feudo nihil facere potest, quòd ipsi Domino præjudicium creet. *1. F. 5. 2. F. 55.* 4. Facit pro hac sententiâ, quia hoc modo Domino invito obruderetur Vasallus, 5. Aliàs Domino aus

ferre;

ferretur libera facultas Feudum apertum in potestatem suam redigendi, quæ facultas tamen expressè ipsi est concessa. 2.F. 54. 2.F. 55. §. firmiter.

83. Quod dictum est de subinfeudatione, idem obtinet in refutatione, quòd sc. Vasallus Feudum invito Domino refutare possit. 2.F. 38.

84. Ob quod autem Feudum amittitur, dicitur Felonia. 2.F. 26. §. Domino. 2.F. 38. & derivatur à germanico *fehlen* oder *fallen*/ *fehlen*/ quia non fecit, quod facere debuit, *fallen* quia Feudum sit caducum, germ. *da das Eehn fälltig ist*. Hæc Felonia oritur vel ex delicto propriè ita dicto, vel oritur ex contractu. Ex contractu oritur ex alienatione, Ex delicto orta est vel arbitraria, vel legitima Arbitraria, quæ Jure Feudali non est expressa, sed Judicis arbitrio committitur. 2.F. 24. §. 2. Illud tamen arbitriû nō debet hisce fundari, Ex quibus causis donatio possit revocari, matrimoniu dissolvi, exhereditatio fieri, ex iisdem etiam causis posse Feudû adimi. Legitima, de cujus causis Jus Feudale legitimè disponit, & ejus causæ sunt vel delictum Commissionis, vel Omissionis & committit Vasallus vel in ipsum Dominum, ut si ipsius personam directè lædat, vel in aliû, cum in alium sc. delinquit, sed ejus injuria per consequentiam in ipsum Dominum redundat, quale delictum est, si Vasallus adulterium cum uxore Domini commiserit, quod delictum in Jure Feudali appellatur Cucurbitatio. 1.F. 5. & hoc extenditur, etiam si adulterium non sit perfectum, modò illud tentaverit. 1.F. 5. jungatur *Vult. l. 1. F. c. 11. n. 31*. De vidua Domini disquiritur, si eam stupraverit, propter id sit privandus Feudo? Et Respondemus, quòd non. 1.F. 21. §. *si quis miles semperq;* in Feloniâ requiritur dolus. *VVes. de F. c. 15. n. 8*. An etiâ Vasallus Feudo privetur, si fratrem Domini occiderit? simpliciter negamus. 2.F. 37. nisi in odiû ipsius Domini & injuriam fecerit, tunc enim Feudo privari potest. *Vult. lib. 1. Feud. c. 11. n. 34*. aliter ac si Vasallus parricidium commiserit, ob quod delictum Vasallus Feudo exiit, nec tantum hoc obtinet in Vasallo fratrem suum, vel filium fratris occidente. 2.F. 37. 1.F. 5. sed & in alio parricidio, ut si parens liberos, & vice versâ occiderit. 2.F. 24. §. *ult.* Exindè etiam liquet, Vasallum interdum privari Feudo ex culpâ in alium, quàm Dominum, aut personas affectui Domini subjectas commissâ. 2.F. 37. Et hæc spectant ad secundam causam Feudi amittendi, quæ non perinde ac alienatio ex contractu, sed ex delicto oritur, ut & causæ sequentes.

85. III. Causa amittendi Feudi, & quidem ratione Commissionis in Dominum, est, si Vasallus credentiam sibi factam à Domino revelaverit. 1.F. 17. Sed requiruntur secundum *VWesenb. de Feud. c. 15. n. 6*. ad hæc tria, qui potest videri, ubi tamen tertium requisitum non est necessarium ex *l. 14. ad L. Corn. de sicar. l. 7. C. eod.*

86. IV. Causa amittendi Feudi est, si Vasallus Feudum Domini esse infitietur. 2.F. 26. §. 3. & quidem si totum, toto privatur, si partem, parte. *arg. 2.F. 38*. requiritur tamen, ut expressè infitietur, & dolo malo, si dubitativè respondit, quasius à Domino hanc esse rem feudalem, ut si respondeat, Nescio, non privatur Feudo. *Vult. lib. 1. Feud. c. 11. n. 28*. Cui infitiationi proxima est detrectatio servitorum, ob quam pari modo Vasallus Feudo privatur. 1.F. 27. Ille autem Vasallus dicitur subtrahere servitia Dominio, qui legitimè à Domino requisitus illa detrectat. 2.F. 26. §. *licet Vasallus*. Unde tria requiruntur ad id, ut Vasallus ob detrectationem servitoru Feudo privari possit, quæ videre licet apud *Vult. l. 1. de F. c. 11. n. 22*.

87. V. *Causa Feudi amittendi est, si Vasallus testimonium perhibeat contra Dominum.* *Vult. l. i. Feud. c. ii. n. 27.* contraq; Dominum Vasallus testimonium dicere non debet tam in causâ civili, quàm criminali, nisi in modicâ actione civili, ex quâ sc: non magnum præjudicium Domino creatur, *2. F. 33. §. similiter. 2. F. 24. Item si delator.* 2. Si Vasallus se excusaverit à testimonii dictione, Judex tamen ipsum coegerit, tùm enim non erit Feudo privandus. *Vult. præall. loco. 3. Si Vasallus testimonium dixerit in causâ feudali, 1. F. 26.*

88. VI. *Causa est, Si Vasallus Dominum accuset tam in causâ criminali, quàm civili, unde eum grave dispendium sustinere fecerit.* *2. E. 24. §. Item si delator.* & Domino infamia metuenda sit. *Vult. l. i. F. c. ii. n. 27.* Ex quo tamen non sequitur, Interdictum Undi vi, etsi famosum sit, à Vasallo contra Dominum intentari non posse *Vult. d. l. Et quidem accusatio causa amissionis Feudi est, nisi suam, suorumq; injuriâ prosequatur, l. ii. ff. de Accusat. 2. Excipitur crimen læsæ Majestatis. 3. Quando non perfectâ accusatione abolitionem impetrat & desistit. Zaf. part. 10. n. 47. & 48.* sed debet desistere pœnitentiâ, non quòd desperet de probatione, *l. 2. C. de Abolition.*

89. VII. *Causa Feudi amittendi, & quidem ratione omissionis est.* 1. Si non procuret Domini liberationem, nisi justè fuerit incarceratus, nam etiam si eum illo casu liberare possit, tamen non tenetur. *Vult. l. i. F. c. ii. n. 48.* 2. Si Vasallus videat Dominum periclitantem, & illum juvare possit, non tamen faciat. *1. F. 5. 2. F. 24. §. 2.* & hoc in tantum verum est, ut, etiam si Dominus illæsus evaserit, & victor extiterit, nihilominus Vasallus, qui deseruerit, Dominum, Feudo privetur. *Vult. l. i. Feud. c. ii. n. 29.* quod & procedit, si semel reliquerit Dominum, & postea in aciem reversus sit. *Vult. d. l. Limitatur. 1. Quando credidit Dominum esse mortuum, vel lethaliter vulneratum. 2. Si Vasallus factus est inutilis ad Dominum defendendum, ut si ipse vulneratus. Vult. d. l. 3. addimus, Quando Dominus magis ex audaciâ & temeritate, quàm fortitudine medios hostes involavit. Quæ asseruimus de Domino in acie conflictanti, idem statuendum est de periculo quovis alio, ex textu 2. F. 7. 2. F. 26. §. licet Vasallus.*

90. IIX. *Causa Feudi amittendi est, si Justitiam facere Domino negligat.* *2. F. 24. §. 2.* quod tribus modis fieri potest. vid. *Zaf. Epit. feud. part. 10. n. 43.*

91. Non tamen Vasallus cadit Feudo, si cum Domini hoste foedus inierit citrà præjudicium Domini, non enim sequitur, Dominus habet hostem. E. etiam Vasallus eundem habere debet pro hoste. *Zaf. d. p. n. 32.* nisi adsit præsumptio pro Domino militans, Vasallum hoc fecisse in præjudicium Domini, vel Dominus aliàs probare possit, amicitiam in sui perniciem esse initam, quia *amicitiæ copulatio non est de rebus naturâ suâ prohibitis sive illicitis, atq; adeò Vasallus rei licitæ per se operam dâns non censetur esse in dolo, ita Vult. l. i. F. c. ii. n. 29.* hincq; ejus probatio non Vasallo, sed Domino incumbit. Item, Quando Vasallus aggressorem Dominû, moderatâ defensione, occidit, Feudo non erit privandus. *Vult. c. 10. n. 28.* aliàs privatur Feudo, etiam si non tantùm occiderit Dominum, sed & insidias ipsi struxerit. *2. F. 24. §. 2.* Item ob incestum Vasallus Feudo non privatur, si enim ob incestum Vasallus caderet Feudo, deberet ad Fiscum pervenire. *l. 4. C. de incest. nupt.* quod tamen fieret in, præjudicium Domini, E. Incestus causa privationis Feudi non est,

92. Delibatis causis amissionis Feudi, causas finiendi brevissimè subnectemus. Ut autem res feudalis extincta & finita dici possit, requiritur, ut vel totaliter intereat. *arg. l. i. C. de Jure Emphyt.* vel extinguatur non quidem per interitum rei feudalis, sed per interitum obligationis feudalis, quod fit vel spontè, vel non spontè; Spontè rursus fit vel expressè, vel tacitè. Expressè, & quidem à parte Vasalli, quando Domino restituit Feudum, ut fit in re-  
futatione propriâ, à parte Domini per remissionem fit extinctio. Tacitè, quando Dominus vel Vasallus patitur rem feudalem præscribi. Non spontè, & quidem à parte Vasalli, ut si Vasallus moriatur, neq; relinquat successores, vel relinquat quidem, sed tamen ineptos. A parte Domini, ut si Dominius moriatur, neq; relinquat successores, tunc enim directum Dominium ad Vasallum devolvitur, Dominus siquidem & Vasallus, ut in præcedentibus dictum, judicatur ad paria. *2. F. 26. §. Domino. 2. F. 47. Vult. l. i. F. c. ii. n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.*

93. Sic terminis amissionis Feudi, quando videlicet Feudum ad eum, cujus antea fuit, non amplius pertinet, & extinctionis, quando sc: Feudum planè esse definit, eorumq; causis explicatis, coronidis loco superioribus addendum censemus, ad quem Feudum propter Feloniam commissam revertatur. Et sanè Feudum novum propter Feloniam commissam revertitur ad Dominum, exclusis liberis & agnatis *2. F. 24. inf. 2. F. 37.* nec distinguendum, in quem delictum commissum, Dominum an extraneum, nisi ex literis Investituræ constare possit de mente concedentis, quòd ex delicto patris liberos Feudo privare nolit. 1. Quando liberis & agnatis Feudum novum aequè principaliter est concessum, *Hart. Pistor. part. 2. quest. 16. n. 27.* In Feudo antiquo subdistinguiamus, aut Vasallus culpam commisit adversus ipsum Dominum, an in alium delictum sit commissum, priori casu Feudum apertum cedere debet Domino, non liberis neq; agnatis, posteriori casu Feudum propter Feloniam Domino apertum non cedere debet Domino, sed agnatis. *2. F. 24. §. ult. 2. F. 37. 2. F. 55. §. Callidis,* quo tamen casu, si in ipsum Dominum delictum commissum, Feudum ad Dominum revertitur, non irrevocabiliter, sed quoad vitam Vasalli delinquentis, & quamdiu filii delinquentis sint superstites, apud Dominum manet. *Hart. Pist. all. loco n. 24.* Verùm si Domini sint plures, quæritur, ad quem illorum Dominorum Feudum devolvi debeat propter Feloniam commissam: Respondemus distinguendo, Aut plures sunt Domini diversorum generum, ut si unus mediatum, alter immediatum, an omnes immediati, priori casu non acquiritur Domino superiori, sed immediato, posteriori casu interest, aut Vasallus ille delictum commisit adversus omnes Dominos immediatos, an unum tantum, priori casu pro parte Domini, quod habent, cedit ipsis Feudum, posteriori casu Vasallus non totum perdit Feudum, sed partem tantum illam, quæ ad Dominum spectabat, adversus quem Feloniam commiserit *argum. eorum, quæ habet. Vult. lib. 1. Feud. c. ii. n. 96. & 97.*


94. Sed quia Jus non operatur, nisi & quis suo Jure utatur. *Bacch. volum. 2. disp. 19. tit. 7. lit. e. inf.* in tantum, ut si vasallus decedat, antequam Judicium Dominus inchoaverit, non possit illud incipere contra ejus successores. *Vult. lib. 1. Feud. c. ii. n. 166.* Ultimo loco de Judice competente, coram quo actiones feudales sint instituendæ, & processu Judiciario in iisdem observando paucis, ne disputationis fines excedere videamur, exponemus.

95. In feudalibus autem controversiis eadem observantur, quæ aliàs de Jure communi

ni in Judicialibus, nisi Jus Feudale singulare aliquid statuerit. *Herm: Vult. lib. 2. Feud. c. 3. n. 2.* Singularia in Jure Feudali multa occurrunt. 1. Circa citationem, nam quamvis de Jure communi si litigator non subjectus sit Magistratui, coram quo lis est diremenda, non possit eum citare, nisi per subsidium *Argum. l. 1. §. ult. de testibus*, In feudalibus tamen vasallus irrequisito ordinario Magistratu potest evocari. *2. F. 22.* 2. In Jure Civili requiruntur tres citationes, vel una peremptoria. *l. 68. 69. 70. 71. 72. de Judic.* non verò hoc procedit de Jure Feudali, secundum quod citatio tribus vicibus fieri debet, interposito spatio 7. vel 10. dierum. *2. F. 22.* Limitatur, si prima vice citatus Vasallus declaraverit, se nolle venire ad Judicium, tunc enim alter statim mittendus est in possessionem. *Vult: lib. 1. Feud: c. 7. n. 21.* 3. Jure communi in singulis causis Judex jurat. *l. 14. C. de Jud.* Jure Feudali Dominus non jurat, neque Pares Curia. *Vult: lib. 2. Feud. c. 2. n. 29.* 4. De Jure communi in litibus Juramentum Calumniam exigitur. *l. 1. C. de Jurejur: propter calumn. dando*, In Feudis non. *2. F. 33. §. 1.* 5. De Jure Feudali intelibus requiritur qualitas, Sexus, Numerus. Qualitas, ut non quilibet possit esse testis, sed Pares Curia, si haberi possint, & Dominus alios Vasallos habeat. *2. F. 33.* maximè in Feudo novo. *2. F. 2. l. F. 10. & 2. F. 32.* Sexus, ut tantùm possint produci Masculi. *2. F. 32. §. ult.* Numerus, ut de Jure Feudali ob Feloniam requiruntur 5. testes omni exceptione majores. *2. F. 57.* 6. Probatio in Feudis, quæ fit per Instrumentum, debet munita esse duorum vel trium Parium subscriptione. *2. F. 2.* & instrumenta tenetur Vasallus in judicio feudali edere Domino contra se ob Feudum investitum. *l. 48. de Action. empti.* 7. Speciale est, quòd probatione deficiente juretur in causis feudalibus cum 12. Sacramentalibus. *2. F. 33.* Hodie verò, ut cum Vulteo loquamur, *consuetudine contrariâ magnâ sui parte hâc in re ad Jus commune reditum est.* *Vult. lib. 2. Feud. c. 3. n. 20.* 8. Et hoc singulare est, quòd reconventio in Feudalibus Judiciis, si non feudalis sit controversia, non vindicet sibi locum, cum Judices feudales possint tantùm cognoscere de illâ causâ, quæ versatur inter Dominum & Vasallum. *Mynf: cent. 4. observ. 90.*

96. De Competente Juce in controversiis feudalibus ita habendum, quòd, quando lis est inter Convasallos, Iudex competens sit ipse Dominus Feudi. *2. F. 34.* distinguendum tamen inter Feudum Regale & non Regale, & quidem priori casu Judex est ipse Imperator. *l. F. 18. in pr.* posteriori casu non, sed semper Dominus inferior cognoscit. *2. F. 55. §. præterea.* Cum autem aliquando Dominus competens Judex non sit, sed vel Pares Curia, vel ordinariu loci Judex, videantur textus *2. F. 46. 2. F. 16. 2. F. 39. §. si inter Dominum,* *2. F. 34. 2. F. 20. Zas. part. 11. Vult. lib. 2. Feud. c. 2.* Concludimus cum Imperatore Justiniano, quòd, quamvis Feuda in hunc dentur finem, ut servitia militaria Domino directo propterea præstentur, *neq; armis confidendum, neq; nostris militibus, neq; bellorum ducibus, vel nostro ingenio, sed omnis spes in bellis sit referenda ad solam summæ Trinitatis providentiam, unde & mundi totius elementa processerunt, & eorum dispositio in orbem terrarum producta est.* *pr. de Conceptione s. frum.* Cui SUMMÆ TRINITATI gloria in omnia manebit secula.

33(0)90





quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo co-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, adjumeto intercessionu, quas  
 te impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniae  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 poenam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publice jactaverat, quem postea  
 iudicis Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quae notissimum est illud Plau-  
 pta forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut e bello rever-  
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

